QUAESTIONES STRABONIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUALTHERUS RUGE,
DRESDENSIS.

LIPSIAE
MDCCCLXXXVIII.

PATRI OPTIMO

ET

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM.

Strabonem in Geographicis componendis non solum iis locis, quibus se non sua sed aliunde petita referre fatetur, sed etiam praeterea multa saepe mutua sumpsisse atque maxime ex iis auctoribus, quorum fragmenta tantum ad nostram aetatem pervenerunt, cum iam diu intellectum sit, minime mirandum est, quod fontibus eius indagandis ac circumscribendis iam plurimi viri docti operam navaverunt: mirum autem forte videtur, cur ego, qui praecipue de fontibus a Strabone in libris III, XVI, XVII adhibitis nonnulla proferre mihi proposuerim, in materiem magna ex parte iam ante me pertractatam iterum inquiram. De tertio enim et septimo decimo libro iam ante me egerunt Zimmermann [1]) et Vogel [2]). Operae autem pretium putavi hanc quaestionem instaurare, et quia nego hos viros doctos semper ad rectum finem pervenisse, et quod non omnia animadverterunt, quorum aliquod in iudicando momentum est. Saepius enim — quod praecipue ad Vogelium referri volo —, quae firmis argumentis munienda erant et muniri potuerunt, ea levibus tantum nec satis idoneis stabiliverunt, ut susceptum munus incohasse magis quam diligenter peregisse viderentur. Quod iudicium solidis quibus-

1) Quibus auctoribus Strabo in libro tertio Geographicorum conscribendo usus sit, quaeritur. Diss. Hal. V, 329.

2) 'Strabons Quellen für das 17. Buch'. Philol. 43, 405.

dam fundamentis inniti, ut comprobem, statim transibo ad fontes libri tertii explorandos.

Liber III.

Exordiar a libri III. 3, 3 p. 152 C., ubi, quo Strabo modo libros composuerit, optime perspicitur. Consequitur enim e verbis *ὑπεναντίως δὲ τοῖς νῦν ἔνιοι καὶ τούτους Λυσιτανοὺς ὀνομάζουσιν*, ut ii, qui ante Strabonem erant, Carpetanos, Vettones, Vaccaeos, Callaecos, alios populos minoris dignitatis Lusitanorum gentes putaverint, cum Strabonis temporibus Lusitania Ana et Durio fluminibus terminata haec opinio iam non valeret. Attamen Strabo, cum Lusitaniam a septentrionibus et ab occasu oceano circumlui dicat, priorum sententiam ipse amplectitur. Finibus enim ita constitutis Callaecos, quippe qui eam partem Hispaniae habitent, ubi et litus occidenti adversum et quod septentriones spectat magno impetu in altum excurrunt, in Lusitaniae gentibus numerat. Qua cum re non conspirant haec verba l. l. *τὸ δ' ἑωθινὸν οἵ τε Καρπητανοὶ καὶ οἱ Οὐέττωνες καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Καλλαϊκοί.* Pugnantia igitur inter se narrat Strabo, cum secundum descriptionem hoc loco datam Callaeci modo conterminent Lusitaniam, modo partem eius teneant. Quam ego difficultatem hunc in modum puto expediendam esse, ut verba inde ab initio III. 3, 3 p. 152 C. ad *καὶ τὸ ἀρκτικὸν ὁ ὠκεανός* antiquiori auctori tribuamus, quae autem sequuntur *τὸ δ' ἑωθινὸν* ad *καὶ τὴν ἀδοξίαν* recentiori, praesertim cum hoc ipsius Strabonis verbis *ὑπεναντίως δὲ τοῖς νῦν* comprobetur. Sed ne tum quidem omnia ad voluntatem fluunt, cum Callaeci, quos a Lusitania ad septentriones sedes habere scimus, inter populos hanc regionem ab oriente termi-

nantes enumerentur. Quod Strabonis culpa peccatum esse arbitror, qui, cum apud priorem auctorem nihil de finibus Lusitaniae ad occidentem versis traditum inveniret, ut descriptionem suam expleret, confugit ad alterum. Quem, cum tale quid traderet, Carpetanos, Vettones, Vaccaeos, Callaecos gentes esse Lusitaniae finitimas, ita tamen ut et de septentrionibus et de oriente cogitaret, Strabo non recte intellegens scripsit eas omnes ab orientis parte conterminas esse.

Statuendum igitur nobis est Strabonem hoc loco duos fontes, res sibi contrarias praebentes, tam neglegenter tamque temerarie confudisse, ut lacunas, quae inter partes e diversis fontibus sumptas hiarent, explere non curaret. Denuo igitur confirmatur opinio olim prolata, Strabonem, quem constat admodum grandem natu opus suum composuisse, id non perpolivisse. Quem in modum eum etiam alibi peccasse intermissa nunc quidem quaestione de fontibus libri tertii altero statim exemplo demonstrabo.

Legentibus enim Troadis et Aeolidis periplum, qui continetur in libro tertio decimo, occurrit duobus locis mentio sinus Adramytteni, sinus Elaïtici, Canarum, ita tamen, ut aliis locis aliud de iis tradatur. Nam ex verbis XIII. 1, 51 p. 606 C.: *λέγεται γὰρ καὶ πᾶσα ἡ ἀπὸ Λεκτοῦ μέχρι Κανῶν παραλία τῷ αὐτῷ τούτῳ ὀνόματι, ἐν ᾧ καὶ ὁ Ἐλαϊτικὸς περιλαμβάνεται* et fine paragraphi *ὑπὲρ αὐτῆς δ' ἐν τῇ μεσογαίᾳ .... καὶ αἱ τοῦ Καΐκου ἐκβολαί· ταῦτα δ' ἤδη τοῦ Ἐλαϊτῶν κόλπου· καὶ ἔστιν ἐν τῇ περαίᾳ ἡ Ἐλαία καὶ ὁ λοιπὸς μέχρι Κανῶν κόλπος...* efficitur, ut Canae sitae sint in promunturio, quod a latere meridionali sinus Elaïtici in altum eiectum est, fortasse id, quod hodie dicitur Arslan Burun. Idem perspicuum est ex

altero loco XIII. 1, 67 p. 615 C: *ἐν δὲ τῷ πέραν τοῦ Καΐκου, δώδεκα διέχουσα τοῦ ποταμοῦ σταδίους Ἐλαία πόλις Αἰολικὴ καὶ αὕτη Περγαμηνῶν ἐπίνειον*... (68) *Εἶτ' ἐν ἑκατὸν σταδίοις ἡ Κάνη, τὸ ἀνταῖρον ἀκρωτήριον τῷ Λεκτῷ καὶ ποιοῦν τὸν Ἀδραμυττηνὸν κόλπον, οὗ μέρος καὶ ὁ Ἐλαϊτικός ἐστιν.*

Altera autem ex parte XIII. 1, 51 p. 606 C. haec narrantur: *μετὰ γὰρ τὸ Λεκτὸν τὸ Πολυμήδιόν ἐστι χωρίον τι ἐν τετταράκοντα σταδίοις, εἶτ' ἐν ὀγδοήκοντα Ἄσσος, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης, εἶτ' ἐν ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα Γάργαρα. Κεῖται δὲ τὰ Γάργαρα ἐπ' ἄκρας ποιούσης τὸν ἰδίως Ἀδραμυττηνὸν καλούμενον κόλπον,* et post verba supra laudata *ἰδίως μέντοι τοῦτόν φασιν Ἀδραμυττηνόν, τὸν κλειόμενον ὑπὸ ταύτης τε τῆς ἄκρας, ἐφ' ᾗ τὰ Γάργαρα, καὶ τῆς Πυρρᾶς ἄκρας προσαγορευομένης, ἐφ' ᾗ καὶ Ἀφροδίσιον ἵδρυται... ἔξω δὲ τοῦ κόλπου καὶ τῆς Πυρρᾶς ἄκρας ἥ τε Κισθήνη ἐστὶ πόλις ἔρημος, ἔχουσα λιμένα.* Quibus verbis adiungenda, quae extant XIII. 1, 68 p. 615 C: *Κάναι δὲ πολίχνιον Λοκρῶν τῶν ἐκ Κύνου κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου τὰ νοτιώτατα κείμενον ἐν τῇ Καναίᾳ· αὕτη δὲ μέχρι τῶν Ἀργινουσσῶν διήκει καὶ τῆς ὑπερκειμένης ἄκρας, ἣν Αἰγά τινες ὀνομάζουσιν ὁμωνύμως τῷ ζώῳ.... κύκλῳ δὲ περὶ τὸ ὄρος πρὸς νότον μὲν καὶ δύσιν ἡ θάλαττα, πρὸς ἕω δὲ τὸ Καΐκου πεδίον ὑπόκειται, πρὸς ἄρκτον δὲ ἡ Ἐλαΐτις· αὐτὸ δὲ καθ' αὑτὸ ἱκανῶς συνέσταλται, προςνεύει δὲ ἐπὶ τὸ Αἰγαῖον πέλαγος, ὅθεν αὐτῷ καὶ τοὔνομα.* Ex quibus colligitur Canas sitas fuisse inter sinum Adramyttenum et Elaïticum, prope ad promunturium Mal Tepe Burun. Duos igitur fontes adhibuit Strabo, quod XIII. 1, 51 p. 606 C. verbis: *λέγεται γὰρ καὶ πᾶσα* et *ἰδίως μέντοι τοῦτόν φασιν Ἀδραμυττηνόν* ipse significat.

Minime autem hoc facit altero loco, quamquam fieri non potest, ut Canae Lesbi promunturio Maliae maxime ad meridiem procurrenti oppositae eaedem alterum esse possint promunturium, quod sinum Adramyttenum, cuius pars sinus Elaïticus sit, terminet. Illud enim non perspicitur, nisi promunturium in septentrionali parte sinus Elaïtici situm esse statuimus, hoc nisi in meridionali. Ita duo fontes discernendi sunt, quorum ex altero fluxerunt XIII. 1, 51 p. 606 C: *λέγεται γὰρ* ad *περιλαμβάνεται* et *ὑπὲρ αὐτῆς ἐν τῇ μεσογαίᾳ* ad *μέχρι Κανῶν κόλπος*, XIII. 1, 67 p. 615 C: *ἐν δὲ τῷ πέραν* ad (68) *καὶ Ἐλαϊτικός ἐστι*; ex altero XIII. 1, 51 p. 606 C: *μετὰ γὰρ τὸ Λεκτὸν* ad *καλούμενον κόλπον*, et *ἰδίως μέντοι τοῦτόν φασιν* ad *ἔχουσα λιμένα*; XIII. 1, 68 p. 615 C: *Κάναι δὲ πολίχνιον* ad *τῷ ζώῳ*, et *κύκλῳ δὲ περὶ* ad *ὅθεν αὐτῷ καὶ τοὔνομα.* Iam eo perventum est, ut sola supersit illa quaestio, qui auctores haec Straboni praebuerint. Videmus autem XIII. 3, 5 p. 622 C., ubi Artemidorus laudatur, eandem rem tractari. Postquam enim ibi Strabo nescio unde, quantum inter se distarent urbes Larissa, Cyme, Myrina, Grynion, Elaea, narravit, ea profert, quae Artemidorus de huius regionis litore scripsit. Ac miror equidem, quid sit, cur Stiehle (fr. 129)[1]) verba tantum ad *ἄκραν Ἁρματοῦντα* inter fragmenta Artemidori receperit, neque adiecerit finem paragraphi exceptis scilicet ultimis verbis. Opponuntur enim inter se ea, quae ille auctor, cuius nomen non commemoratur, et quae Artemidorus de eadem regione tradiderunt. Minime igitur dubito Artemidoro omnia ad finem paragraphi (ad verba *τῶν συστρατευσάντων ἐπὶ Ἴλιον*) tribuere. Nunc videamus, ex hoc

1) Stiehle, 'Der Geograph Artemidoros von Ephesos'. Philol. 11, 193.

loco quantum bonae frugis ad nostram quaestionem profligandam percipiatur. Ac primum quidem XIII. 3, 5 p. 622 C. Strabo non dicit sinum Elaïticum partem sinus Adramytteni esse, quod dicere debebat, si hanc sententiam sequeretur. Deinde Hydra promunturium terminat sinum, id quod adversatur priori fonti, secundum quem ille ad Canas usque pertinebat. Tum autem inter alterum fontem, quem supra statui, et Artemidorum nonnullae similitudines intercedunt. Eadem enim ratione ab utroque fines sinuum duobus sibi oppositis promunturiis determinantur, quae quantum inter se distent utroque loco legitur. Denique indoles descriptionis plane eadem est atque Artemidorianae. Scimus enim eum, cum circuitum scriberet, id praesertim studuisse, ut quae esset natura litoris explicaret, ut ea quae scire nautarum interesset memoraret. Quod non solum ipsius fragmentis (cfr. fr. 26, 44, 45, 113, 138) comprobatur, sed etiam expressis verbis ipse confessus est: Str. XVI. 4, 14 p. 774 C: *κάμψαντι δὲ τοῦτο ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν οὐκέτι, φησίν* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*), *ἔχομεν λιμένων ἀναγραφάς*. Atque eadem ratione compositae sunt hae partes, cuius rei nonnulla exempla promam: XIII. 1, 51 p. 606 C: *ὁ Ἀσπανεύς, τὸ ὑλοτόμιον τῆς Ἰδαίας ὕλης .... Ἀδραμύττιον, ἔχουσα καὶ ναύσταθμον ..... Κισθήνη ἔχουσα λιμένα.* XIII. 3, 5 p. 622 C: *Αἰολὶς πόλις ἔχουσα λιμένα, εἶτ' Ἀχαιῶν λιμήν .... εἶθ' ἑβδομήκοντα* (*στάδιοι*) *εἰς Ἐλαίαν, λιμένα ἔχουσαν καὶ ναύσταθμον.* Quae omnia cum optime congruant, haud dubie ex Artemidoro derivanda sunt, cuius fr. 130, quod solum comparare possumus, ad suspicionem meam firmandam proferre mihi liceat, cum idem contineat, quod Strab. XIII. 1, 68 p. 615 C. Legas haec: *ἄκρα τίς ἐστι Αἰολίδος,*

ἣν Αἶγα οἱ ἐπιχώριοι ὀνομάζουσιν, ἀφ' ἧς καὶ τὸ πέλαγος τοιαύτην ὀνομασίαν προσείληφεν, ὡς Ἀρτεμίδωρός φησιν.

Priorem quam dixi partem descriptionis Strabonem Apollodoro debere, postquam Niese[1]) de his Strabonis libris disseruit, certissimum est.

Ita demonstratum est Strabonem etiam in hac Geographicorum parte duas descriptiones contaminasse, qua quaestione absoluta, unde huc digressus sum, eo mihi redeundum est. Interim tamen paucis adumbrare liceat, quemnam auctorem Strabo XIII. 2 p. 616—619 C. in Lesbi circuitu perstringendo secutus sit.

Videmus eum in enarrando situ insulae consentire cum eo memoriae genere, quod primo huius libri capite Artemidoro adsignavi. Dicit enim Lesbum ab Lecto promunturio usque ad Canas litori adiacere. Quod nemo dicere potest, nisi qui Canas id promunturium esse sumit, quod, ut iam supra exposui, a septentrionibus sinum Elaïticum claudit. Hoc recte disputatum esse, liquido patet ex XIII. 2, 2 p. 617 C., ubi Mytilenen a Malia promunturio 70 st., a Canis 120 st. abesse profertur. Quibus de causis verisimile est Artemidorum hic quoque Strabonis auctorem fuisse; multo autem verisimilius eo, quod alia indoles est huius descriptionis atque eorum, quae praecedunt. Nam cum huc usque Strabo Apollodorum secutus id praecipue enucleare studuerit, quaenam essent suae aetatis regiones ac loca, quorum apud Homerum in navium catalogo, qui dicitur, mentionem legimus, in enarranda Lesbo hoc nec tractat nec tractare

1) Niese, ʽApollodors Commentar zum Schiffskataloge als Quelle Strabos'. Mus. Rhen. 1877, XXXII p. 267.

potest, quia haec insula in illo non commemoratur. Atque ea ipsa de causa sine ulla probabilitatis specie ponitur Apollodorum *περὶ νεῶν* scribentem de hac insula tam copiose disseruisse quam apud Strabonem factum videmus.

Nunc statim revertar ad Hispaniae descriptionem accuratissime examinandam. Ac primum quidem antiquiora a recentioribus seiungere pergam initio iterum facto ab III. 3, 3 p. 152, 153 C., ubi verba *ὅμοροι δ' εἰσὶν ἐκ τοῦ πρὸς ἕω μέρους* ad *Κελτίβηρσι* recentioris originis esse duco, cum respiciant ad gentes paulo supra secundum recentiorem scriptorem enumeratas; sunt enim *οἱ δ' ἄλλοι* Carpetani, Vettones, Vaccaei. Eidem addico, quae narrantur de natura Lusitaniae inde ab *ὑψηλὸν δ' ἐστὶ τὸ ἑωθινὸν* ad *οὐ μεγάλων*. Possunt enim haec non dici nisi de Lusitania recentioris aetatis ad Durium porrecta, cum Lusitania a septentrione oceano cincta omnino nequeat *πεδιάς* appellari Callaecorum regione montibus occupata, cfr. III. 3, 2 p. 152 C: *Καλλαϊκοὶ δ' ὕστατοι, τῆς ὀρεινῆς ἐπέχοντες πολλήν.* Unde hanc descriptionem sumpserit Strabo, hoc nihili ad nostram rem; id certo inde cognoscitur Callaeciam montuosam fuisse. Quae cum ita sint, minime dubito etiam mensuras, quae de Lusitania proferuntur, alteri auctori adsignare, cum partibus ab eo petitis circumcludantur.

Ab antiquiore autem originem duxit fere tota § 4, cum etiam ea flumina, quae inter Durium et promunturium Artabrum in oceanum permeant, per Lusitaniam percurrere narrentur. Iam vero arte conectitur initium § 5 *Ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν .....* Quae vero sequuntur inde ab *περιοικοῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοί*, alterius auctoris sunt, cum plane aliud pronuntient

ac prima paragraphi verba; si enim Artabri circum promunturium Nerium sedes habent, Celtici non ibidem habitare possunt. Quam sententiam eo confirmari intellego, quod flumen Limaea nominatur, cum § 4, ubi Lethe forma exhibetur, alterum illud nomen Limaea alio ex fonte sumptum esse luce clarius sit verbis additis *ὅν τινες Λιμαίαν* (sc. *καλοῦσιν*). Praeterea Strabo § 5 cum pergat *ἐκ τούτου δὲ καὶ τὸν ποταμὸν Λήθης ἀγορευθῆναι*, memoriam, quam antiquiorem esse e paragrapho antecedente perspicitur, alienam esse ab ea, quae in hac paragraphi quintae parte legitur, indicat. Facere igitur non possum cum Haeblero, qui [1]) sumit, cum Artabri Celticorum gens sint, Strabonem pro *οἱ δ' αὐτὴν περιοικοῦντες (Ἄρταβροι) Κελτικοί εἰσιν, συγγενεῖς τῶν ἐπὶ τῷ Ἄνᾳ* neglegenter scripsisse *περιοικοῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοί*. Quod ne credam, impedior, quod Strabo hoc loco tam simplici tamque perspicua ratione dicendi utitur, ut quid sentiat manifestum sit; quod hac una difficultate sublata altera remanet, quam modo exposui; quod intelleximus in hac ipsa parte descriptionem rebus ab altero auctore sumptis amplificatam esse. Quibus de causis reicio Meineki quoque coniecturas vel *αὐτὴν καὶ Κελτικοί* vel *περιοικοῦσι δ' αὐτοῖς Κελτικοί* proponentis.

Iam pergam disceptare, quid Strabo ab antiquiore, quid ab recentiore auctore petiverit. Quae sequuntur inde ab *ἔχουσι δὲ οἱ Ἄρταβροι* ad *τῶν Ἀρτάβρων* adsignanda puto fonti antiquiori, cum omni careat sensu gentes, quae inter Tagum et Artabros habitant, enumerare, nisi Lusitania etiam a septentrione oceano adluitur.

---

1) Häbler, 'Die Nord- und Westküste Hispaniens' progr. gymn. reg. Lips. 1886 p. 21.

Huc accedit, quod usurpatur forma Artabri, non Arotrebes. Pauca verba *οἱ δὲ νῦν τοὺς Ἀρτάβρους Ἀροτρέβας καλοῦσιν*, cum ea recentioris originis esse pateat, ad eundem auctorem redire atque omnes eiusdem indolis partes verisimillimum est.

Verbis *καὶ τῶν Ἀρτάβρων* cum finiatur periplus orae ad occasum vergentis, percurram nunc reliquas litorum partes. Ac circuitus, qui incipit III. 1, 4 p. 137 C. verbis *Ἀναλαβόντες δὲ λέγωμεν τὰ καθ' ἕκαστα ἀπὸ τοῦ ἀκρωτηρίου ἀρξάμενοι*, digressione facta continuatur III. 1, 6 p. 139 C. *τῆς δὲ συνεχοῦς τῷ Ἱερῷ ἀκρωτηρίῳ παραλίας*. Quam § 6 qui coniunctam cum c. 1, 7—9 p. 139, 140 C. et c. 3, 1—5 p. 151—153 C. consideraverint, iis apparebit statim, quo modo Strabo auctorem, quem praecipue secutus est, in hoc tertio libro componendo adhibuerit. Atque ut statim, quo mea inclinet sententia, aperiam, plane adsentior Zimmermanno, qui l. l. p. 334 sq. luculenter demonstravit Strabonem in hac paragrapho neglecto fontis ordine explicare, quem in modum regiones inter Tagum et fretum sitas depicturus sit. Quod consilium cum in descriptione sequenti perficere non posset, factum est, ut saepius eandem rem bis commemoraret. Licet igitur suspicari utroque loco eundem auctorem usurpatum esse, qua de re conferas Zimmermannum p. 334. Videmus III. 3, 1 p. 152 C. Tagum iterum tractari ita ut haec ex eodem fonte fluxisse debeant. Cum vero III. 3, 1 excipiat III. 1, 9 p. 140 C., consentaneum est hanc quoque ad eundem redire. Praeterea totus circuitus (h. s. c. 1, 4 in. p. 137 C.; 6—9 p. 139, 140 C.; c. 3, 1—5 p. 152, 153 C.; c. 4, 1—9 p. 156—160 C.) eandem indolem prae se fert, semper easdem res respicit, easdem commemorat, aestuaria, sal-

samenta, ostia, cursus fluminum, quousque navigari possint. Perlegas, quaeso, hos locos:

c. 1, 8 p. 140 C. *Μενλαρία, ταριχείας ἔχουσα ... ταριχεῖαι.*

c. 1, 9 p. 140 C. *κατὰ Ἄσταν ἀνάχυσις.*

c. 3, 1 p. 151 C. *ἐνταῦθα δὲ καὶ ἀναχύσεις .... δύο δ' ἀναχύσεις ἐν τοῖς ὑπερκειμένοις ποιεῖται πεδίοις.*

c. 4, 2 p. 156 C. (*Μάλακα*) *καὶ ταριχείας ἔχει μεγάλας, ἐξ ἧς* (sc. *ἡ τῶν Ἐξιτανῶν πόλις*) *καὶ τὰ ταρίχη ἐπωνύμως λέγεται.*

c. 4, 6 p. 159 C. *κἀνταῦθα δὲ καὶ ἐν τοῖς πλησίον τόποις πολλὴ ἡ ταριχεία.*

c. 1, 9 p. 140 C. *εἶτ' εὐθὺς αἱ ἐκβολαὶ τοῦ Βαίτιος διχῇ σχιζόμεναι.*

l. l. *μετὰ ταῦτα ὁ Ἄνας ποταμός, δίστομος καὶ οὗτος.*

l. l. *ἐντεῦθεν δ' ὁ τοῦ Βαίτιος ἀνάπλους ἐστὶν ...., εἶθ' οἱ τῶν ἀναχύσεων τῶν ἄλλων ἀνάπλοι.*

c. 3, 1 p. 152 C. *ὁ δὲ Τάγος καὶ τὸ πλάτος ἔχει τοῦ στόματος εἴκοσί που σταδίων καὶ τὸ βάθος μέγα, ὥστε μυριαγωγοῖς ἀναπλεῖσθαι.*

l. l. *καὶ τοὺς ἀνάπλους εὐπετεῖς μέχρι μὲν πολλοῦ καὶ μεγάλοις σκάφεσι, τὸ δὲ λοιπὸν τοῖς ποταμίοις.*

c. 3, 4 p. 153 C. (*Μούνδας*) *ἀνάπλους ἔχων μικρούς.*

c. 4, 6 p. 159 C. in. *περατὸς* (sc. *Σούκρων*) *πεζῇ.*

De cursibus fluminum quid notandum sit, cfr. Zimmermannum p. 344.

Ac peropportune evenit, ut eandem indolem reperiamus c. 3, 4, quam partem supra demonstravi ex fonte antiquiore haustam esse. Sunt haec exempla: *ἅπασιν* (sc. *ποταμοῖς*) *ἐκ τῶν ἑωθινῶν μερῶν, παραλλήλοις τῷ Τάγῳ* (sc. *διαρρεῖται ἡ χώρα*)· *ἔχουσι δὲ καὶ ἀνάπλους ...*

Μούνδας, ἀνάπλους ἔχων μικρούς, καὶ Οὐακούα ὡσαύτως . . . (Δούριος) μεγάλοις τ' ἀναπλεόμενος σκάφεσιν ἐπὶ ὀκτακοσίους σχεδόν τι σταδίους.

Per quae colligitur periplum in universum uni eidemque auctori adserendum esse, qui sibi fingit promunturium Sacrum, quod finiat et litus meridionale et occidentale, maxime ad occidentem proiectum esse, cum promunturium Artabrum caput atque exordium orae septentrionalis sit. Atque eandem imaginem cum is quoque sibi informaverit, a quo c. 1, 3 p. 137 C. petita est, a vero me abscedere non puto c. 1, 3 adscribentem antiquiori illi auctori. Quod ut facilius credas, exscribam eas partes, quibus eadem iisdem fere verbis et c. 1, 3 et in ipso periplo narrantur:

τὸ δὲ νότιον (sc. *πλευρόν*) *ἥ τε καθ' ἡμᾶς θάλαττα* (sc. *ποιεῖ*) . . . . *καὶ ἡ ἐκτὸς τὸ ἑξῆς μέχρι τοῦ Ἱεροῦ καλουμένου ἀκρωτηρίου· τρίτον ἐστὶ τὸ ἑσπέριον πλευρὸν . . . τὸ ἀπὸ τοῦ Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου.*	c. 1, 6 p. 139 C. *τῆς δὲ συνεχοῦς τῷ Ἱερῷ ἀκρωτηρίῳ παραλίας ἡ μέν ἐστιν ἀρχὴ τοῦ ἑσπερίου πλευροῦ . . . ἡ δὲ τοῦ νοτίου.*
c. 1, 3 p. 137 C. *Τὸ* (sc. *ἑσπέριον πλευρὸν*) *ἀπὸ τοῦ Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου μέχρι τῆς πρὸς Ἀρτάβροις ἄκρας, ἣν καλοῦσι Νέριον.*	c. 3, 5 p. 153 C. *ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστίν.*

Quem autem auctorem fuisse credamus? Hanc summi momenti quaestionem ut ad eventum adducamus, iterum nobis exordiendum est ab c. 3, 3 p. 152 C.

Priusquam autem fieri possit, ut aliquid auxilii ex Lusitaniae terminis ibi statutis ad eruendum auctoris tempus petamus, paulo fusius expediendum est, qui quaque aetate singularum Hispaniae provinciarum fines fuerint. Postquam per longum aevum duae tantum provinciae, Hispania citerior et ulterior, fuerunt, haec bello Cantabrico peracto divisa est in duas partes [1]). Quod bellum cum a. 19. a. Chr. n. finitum sit, a. autem 12. a. Chr. n., quo Agrippa mortuus est, iam perfectam esse hanc divisionem ex Agrippae fr. 24 (Riese, Geogr. Lat. min.) liquido pateat, concludendum est eam inter a. 19. a. Chr. et 12. a. Chr. factam esse. Quae cum ita sint, aptissimum temporis momentum, quo hoc accidisse statuamus, credo esse finem ipsum belli Cantabrici a. 19. a. Chr. n. [2]).

Baetica, nova provincia, altera ex parte ad Anam exposita erat, altera finibus terminabatur, qui, ut iam antea fuerant inter Hispaniam ulteriorem et citeriorem, non a Murgi, sed a Carthagine nova exordium habebant.

Qua occasione oblata facere non possum, quin nonnulla contra Detlefseni [3]) sententiam moneam, Plinium, quod 3, 17 de ulterioris et citerioris Hispaniae finibus

1) Mommsen, 'Römische Geschichte' 5, 58 Anm. 1.

2) Pristinam Mommseni opinionem (Monum. Ancyr. p. 119, 120) Lusitaniam a Baetica Tiberio imperante diremptam esse, cum Augustus utriusque Hispaniae mentionem faciat (cfr. Mon. Anc. 5, 35: *Colonias in Africa, Sicilia, Macedonia, utraque Hispania deduxi*), stare non posse, eo quod Agrippa l. l. tradit, demonstratur. Fortasse difficultatem ita solvere licet, ut sumamus Augustum haec verba composuisse provinciarum novo ordine nondum constituto.

3) Detlefsen, 'Varro, Agrippa u. Augustus als Quellenschriftsteller des Plinius für die Geographie Spaniens'. Commentationum philologarum in honorem Theodori Mommseni p. 23.

inter Castulonem et Murgi constitutis narret, ex Varrone hausisse. Quae opinio nititur altera suspicione ab eo prolata hunc esse auctorem, quem potissimum Plinius in conscribendis Hispaniae mensuris sequatur. Accuratius tamen singulis numeris inter se cumque Varrone comparatis corruere Detlefseni coniecturam Haebler l. l. p. 35 demonstravit. Adice quod nullo modo potest explicari, cur Plinius 4, 118 priore totius circuitus mensura accuratissime data alteram parum diligenter exsecutus sit, cum pro $|\overline{XXV}|\ \overline{LXXX}$ vel $|\overline{XXVI}|\ \overline{X}$, quae colliguntur singulis mensuris in unam summam redactis, scriberet $|\overline{XXVI}|$. Unde mensurae Plinii originem ducant, rectissime intellexisse mihi videtur Partsch [1]), qui eum sumit ex itinerariis eas computasse.

Quae si recte se habent, Plinius ne id quidem a Varrone petivit, quod de finibus Baeticae tradit; accedit, quod omni caret probabilitate, Varronis aetate Hispaniae ulterioris terminum ab orientis parte Murgi fuisse, tum inter annos 27. a. Chr. n. (quo Varro de vita decessit) et 12. a. Chr. n. (quo Agrippa supremum diem obiit) fines Carthaginem usque iterum prolatos esse, postea autem iterum ad Murgi tantum porrectam esse provinciam. Quos fines ultimo loco memoratos inter annos 12. a. Chr. n. et 2. a. Chr. n. constitutos esse Partsch l. l. invictis argumentis demonstravit.

Altera novarum illarum provinciarum Lusitaniam, Asturiam, Callaeciam principio complexa est, cfr. Agrippae fr. 24, Mommsen hist. R. 5, 88 ann. 2. Cum eluceat ex Agrippae fragmento Callaeciam et Asturiam post a. 12. a. Chr.

---

1) Partsch, 'Die Darstellung Europas in dem geogr. Werke des Agrippa' p. 20.

n. a Lusitania distinctam esse, statuendum est auctorem, cui Strabo periplum debet, ante hunc annum librum condidisse. Falsam autem puto Haebleri sententiam, qui l. l. p. 21, quod Strabo de Lusitania a septentrionibus oceano tacta narrat, ad Agrippam redire dicit, nam secundum hunc Callaecia et Asturia non partes Lusitaniae, sed coniunctae tantum cum ea fuerunt, ita ut Lusitania sola ad Durium, non ad oceanum se porrigeret. Plane alia narrat Strabo, cum Asturiam et Callaeciam partes eius esse dicat.

Quibus rebus expositis iam id nobis agendum est, ut statuamus, quis sit auctor, quem Strabo in depingendis Hispaniae litoribus sequatur. Quam quaestionem ita nos aptissime instituturos esse opinor, ut perlustremus omnes auctores, quorum in hoc tertio libro occurrit mentio. Citantur autem, si nonnullos obiter tantum adhibitos omiseris, hi: Eratosthenes, Polybius, Asclepiades Myrleanus, Artemidorus Ephesius, Posidonius.

De Eratosthene cogitari non posse Strabonis ipsa verba testantur II. 1, 41 p. 93 C: *καὶ νῦν δ' εἰρήσθω, ὅτι καὶ Τιμοσθένης καὶ Ἐρατοσθένης καὶ οἱ ἔτι τούτων πρότεροι τελέως ἠγνόουν τά τε Ἰβηρικὰ καὶ τὰ Κελτικά* et II. 4, 4 p. 107 C: *πάλιν δὲ τοῦτο μὲν ὀρθῶς ἀποφαίνεται* (sc. *ὁ Πολύβιος*), *ὅτι ἀγνοεῖ τὰ Ἰβηρικὰ ὁ Ἐρατοσθένης.*

Polybium ut reiciamus, cogimur, quod secundum Strab. II. 4, 4 p. 107 C. inter Pyrenaeum et Columnas ad 8000 st., peripli autem auctor III. 1, 3 p. 137 C. 6000 st. interesse perhibet.

Idem cadit in Asclepiadem Myrleanum, non tam, quod parum adhibitus sit a Strabone, quam quod in libro de Turdetaniae gentibus composito ad gentes tan-

tum Hispaniae earumque mores, non ad situm et naturam regionum respiciebat.

Restant igitur, ad quos confugiamus, duo auctores, Artemidorus et Posidonius, quorum illi Zimmermann l. l. adsentientibus R. Hansenio [1]) et Vogelio [2]) periplum Hispaniae attribuit.

Videamus nunc argumentorum, quibus ille sententiam comprobare studuit, quale quamque iustum sit unumquodque.

Ac primum quidem agit de exteri maris periplo, qui continetur capite primo et tertio. Proficiscitur ab c. 1, 4 p. 138 C. quam, cum in media paragrapho Artemidorus laudetur, totam ei reddit. Quod quam falso dictum esset de primo paragraphi enuntiato, iam R. Hansen l. l. p. 1095 et Haebler l. l. p. 15 demonstraverunt; itaque supersedeo rem denuo tractare. Sed ne haec quidem verba *περατοῦται μὲν γὰρ* ad *τὸ λεχθὲν ἀκρωτήριον* inde petita sunt. Quod hunc in modum Zimmermann comprobare conatus est. Optime enim conspirant, quae nostro loco leguntur, Hispaniam 1500 st. amplius ad occasum prorumpere quam Libyam, cum iis, quae Strabo XVII. 3, 2 p. 825 C. narrat, ab urbe Libyae Lixo eodem ac Gades meridiano sita ad occasum procurrere promunturium Cotes, si secundum Artemidorum (apud Strab. III. 2, 11 p. 148 C.) intervallum inter Gades et promunturium Sacrum 1700 st. longum esse statuimus. Ea igitur de causa, quod mensura c. 1, 4 exhibita adhibito illo Strabonis loco XVII. 3, 2 p. 825 C. cum Artemidori consentit, Zimmermann Artemidorum esse fontem

1) 'Philol. Rundschau' 1884, 4, 35, 1095.
2) 'Philol. Anzeiger' 1884, 383.

concludit. Lubrica autem nec satis firmo fundamento exstructa est haec coniectura, cum minime demonstratum sit etiam apud Strab. XVII 3, 2 p. 825 C. Artemidori fragmentum latere. Itaque priusquam disceptemus, num re vera ab Artemidoro tertii libri locus originem habeat, accuratius examinemus Strab. XVII 3, 2.

Qui post Zimmermannum de hoc loco egit, Vogel (Ph.) contendit Strabonem hic Artemidori auctoritatem sequi. Quod et ex laudato illo scriptore elucere, et ex iis, quae apud Steph. Byz., s. v. *Λύγξ* extent. Alterum hoc concedamus, ex Artemidoro formam *Λύγξ* sumptam esse; sed nihil praeterea vel ex Strabonis verbis vel ex Stephano concludi potest. Huc accedit, quod idem spatium, quod interest inter Lynga et columnas c. 3, 6 p. 827 C. iterum perstringitur atque diverso a priore loco ordine. Atqui Vogel in hac quoque paragrapho Artemidorum auctorem statuit. Sed quomodo fieri potest, ut eadem regio secundum eundem auctorem paulo infra iterum describatur? Hoc me profiteor non intellegere. Praeterea ne consentiunt quidem inter se hae duae partes. § 2 enim memorantur mons Atlas, promunturium Cotes, Lynx, § 6 autem Lynx, Zelis, Tingis (?). Quarum rerum si rationem habuerimus, ad hanc nos sententiam puto perventuros esse altero loco alterum fontem adhibitum esse; fieri igitur non posse, ut utroque idem liber excerptus sit. Atque ego Vogelium ideo laudo, quod § 6 Artemidoro tribuit, cum ibi haec forma nominis usurpata sit, quam illius scriptoris propriam fuisse Strabo pronuntiat. Quam opinionem verisimillimam reddit, quod § 6 ordo descriptionis idem est, quem Artemidorus in enarranda hac regione servavit, cum ordiatur scriptor a meridie. Quid enim causae fuit, cur Strabo aberraret

ab ordine per totum librum ita instituto, ut ex oriente veniens progrederetur ad occasum? Quae alia tandem causa huius rei inveniri potest, nisi quod fons eius eundum in modum compositus erat? Nihil enim valent ad explicandam hanc difficultatem, quae Strabo § 2 extr. profert: *τὰ καθ' ἕκαστα δὲ λεκτέον, ἀρξαμένοις ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν καὶ τῶν ἐπιφανεστέρων.*

Restat, ut enucleetur, qui scriptor § 2 Strabonis fons fuerit. Ac perlustrantibus nobis sequentia passim vestigia suppeditant, quae Eratosthenem adhibitum fuisse demonstrant. Hic enim nomen eius profertur; hic usurpatur forma Lixos; hic narratur in Emporico sinu Phoenicia mercatoria sita esse, cum huius capitis § 8 p. 829 C. Artemidorus Eratosthenem idcirco vituperet, quod multarum Phoenicum urbium in hac regione mentionem faciat, *ὧν οὐδὲν ἰδεῖν ἐστιν ἴχνος*; hic, ut Vogel recte monet, loquitur Strabo de forma Africae, quam Eratosthenes finxerat; hic gens illa Mauretaniae *Γαίτυλοι* nomen habet, cum Artemidorus fr. 75 eam *Γαιτύλιοι* nominet. Quibus indiciis omnibus potest adiungi Eratosthenem eodem ordine hanc Mauretaniae oram descripsisse.

Itaque neque cum Vogelio faciam, qui posteriorem tantum partem Eratostheni tribuit, nec quod Zimmermanno visum est ego ut credam adducor.

Quod si concedimus, XVII. 3, 2 p. 825 C. adhibere non possumus, ut decernamus, quemnam promunturii Sacri situm Artemidorus sibi finxerit.

Eadem est condicio alterius loci a Zimmermanno p. 332 allati II. 5, 14 p. 119 C., cum hic promunturium Sacrum, secundum autem Artemidori fr. 1 (apud Plin. 2, 242) promunturium Artabrum latissime ad occidentem se porrigere dicatur.

Sunt igitur aliena ab Artemidoro c. 1, 4 p. 137 C. *τοῦτο δέ ἐστι τὸ δυτικώτατον* ad *τὸ λεχθὲν ἀκρωτήριον.* Sed ne verba quidem inde a *καὶ δὴ καὶ* ad *σημαίνειν βουλόμενοι* Artemidori esse R. Hansen l. l. Artemidori fragmento apud Mart. Cap. VI, 611 servato nisus rectissime demonstravit. Quid enim fuisset causae, cur Martianus „per Sphenis frontem“ scriberet, si apud Artemidorum latinam voculam „cuneum“ invenisset? Artemidorus igitur hanc regionem *σφῆνα* appellavit, Strabonis auctor cuneum. Ergo nihil habeo, cur Vogelium sequar; immo Schwedero [1]) in eo assentior, quod Romanum fontem adhibitum esse existimat, qui qualis fuerit, postea exponetur.

Iam vero Zimmermann p. 337 sq. contendit c. 1, 6 p. 139 C. Strabonem verbis *οἱ μὲν τοὺς αὐτοὺς* (sc. *τοὺς Τουρδητανοὺς καὶ Τουρδούλους*) *νομίζοντες* alludere ad Artemidorum, quippe qui teste Stephano Byzantio s. v. *Τουρδητανία* nullum inter Turtos et Turtytanos discrimen intercedere statuerit. Sed ex eodem loco plane contrarium est concludendum. Videmus enim Strabonem varias gentis Turdetanae nominis formas proferre, sed eas, quas Artemidori proprias fuisse edocemur Stephani verbis, Turtos et Turtytanos, non profert. Quod nullo modo accidisset, si Strabo re vera haec de Artemidoro deprompsisset.

Praeterea Zimmermann extremam paragraphum a verbis *τείνει δὲ ἡ χώρα αὕτη* Artemidoro ideo imputat quod e peripli auctore eam petitam esse intellexit. Quod argumentum quantum valeat, disceptari nequit, priusquam

---

1) Schweder, 'Beiträge zur Kritik der Chorographie des Kaisers Augustus', p. 72.

fontem peripli cognoverimus. Transeo igitur statim ad examinanda ea, quae Zimmermann de circuitu profert.

Atque proficiscitur Zimmermanni argumentatio ex III. 1, 8 p. 140 C., ubi, postquam Belone praesertim Tingim Mauretaniae traici traditum est, sequuntur verba: *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προσλαβόντες τινάς· ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ᾽ ἑαυτῶν ἐποίκους, καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἴοζαν τὴν πόλιν.* Inde, quod memorata hac urbe ordo circuitus interrumpitur et quod in depingenda Hispaniae ora urbs Mauretaniae enumeratur, Zimmermann p. 341, 348 sq. concludit Strabonis auctorem haec fere tradidisse: *ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν καὶ Ζῆλιν τῆς Μαυρουσίας.* Haec autem eum Zeli urbe in Hispaniam translata exscribere non potuisse. Atqui apud Strab. XVII. 3, 6 p. 827 C. legi haec: *Εἰς δὲ τὴν ἐντὸς θάλατταν πλέουσιν ἀπὸ Λυγγὸς πόλις ἐστὶ Ζῆλις καὶ Τίγγις* (codd. *Τίγα*). Itaque ex eodem hausisse Strabonem III. 1, 8 p. 140 C.

Quae demonstratio prava est, nisi concedimus Strabonem re vera tale quid in fonte suo scriptum vidisse et XVII. 3, 6 p. 827 C. Artemidorum adhibuisse. Hoc probo (pag. 17), illud nego. Nequeo enim animo fingere, quo modo fieri potuerit, ut Strabo eodem auctore bis excerpto, quae apud eum legit, ea modo mutaret, modo immutata retineret. Quod eo minus facere possum, cum priore loco corrigat, posteriore non item. Rem, si aliter se haberet, intellegere possemus, cum sumere liceret Strabonem de transducta Zeli certiorem factum esse eo tempore, quod intercessit inter compositum tertium et condendum septimum decimum librum. Sunt igitur III. 1, 8 p. 140 C. et XVII. 3, 6 p. 827 C. auctores inter se diversi

adhibiti, hoc loco Artemidorus, illo auctor recentioris aetatis.

Alterum argumentum, quod Zimmermann p. 349 ab III. 3, 4 p. 153 C. petivit, iam R. Hansen l. l. quam exile esset, monuit. Inde enim, quod additamentum illud *οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσι* Artemidoreum est, non consequitur, ut totus periplus eiusdem sit, sed contrarium demonstratur.

Idem est exitus tertii loci a Zimmermanno allati c. III. 2 p. 152 C., quem quomodo explicent, editores inter se dissentiunt, cum montes, quorum initio mentio est, in iis, quae praecedunt, omnino non nominentur. Zimmermann totus adsentitur Meinekio pro *τῶν λεχθέντων ὀρῶν* scribenti *τῶν λεχθέντων μερῶν*, qua textus forma significetur gentes, quae enumerantur, sedes habere ultra regionem ad Tagi ostium sitam. Qui autem dici potest Oretanos, Carpetanos, Vettones, Vaccaeos, Callaecos ultra Tagi ostium habitare? Requirimus, si legimus *οἱ δὲ ὑπερκείμενοι τῶν λεχθέντων μερῶν* populos eo ordine enumerari, ut initium fiat ab iis, qui proxime a partibus illis absunt, atque inde ut pergatur ad maxime remotos. An nostro loco hoc factum esse videmus comprobata illa Meinekii coniectura? Servata autem codicum scriptura intellegemus Strabonem in hac paragrapho gentes enumerare incipientem a meridie, unde elucet hanc descriptionem cum circuitu litorum non conexam esse. Quod impedit, quominus quidquam mutemus. Deletur enim corrigendo indicium, quod multum nos in fontibus indagandis adiuvat. Perperam igitur fecit Zimmermann, quod hanc paragraphum eidem auctori tribuit, cui et quae antecedunt et quae sequuntur deberi censuit. Unde § 2 fluxerit, ut statuamus, incipiendum est ab ultimis

verbis *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Καστουλὰν καὶ Ὠρία.* Quibus in verbis Artemidori vestigia inesse, cum Zimmermann p. 349 rectissime intellexerit comparato Stephano Byzantio s. v. *Κασταλών* et s. v. *Ὠρισία*, totam ei paragraphum adscribit, qua re ipsa demonstratur non Artemidorum, sed alium quem peripli auctorem esse. Quae si accipiuntur, omnino non quaerendum est, quinam sint ii montes, quorum Strabo mentionem facit, cum ille haec ex auctore suo ad verbum exscripserit neque id curaverit, ut ea cum antecedentibus coniungeret.

Cum vero constituerimus Strabonem auctore antiquiore usum esse, secernenda sunt verba *καὶ νῦν ἤδη* ad *παρεσκεύασαν.* Praeterea aliunde ea originem ducere puto, quae antecedunt inde ab *διὸ καὶ δυσμαχώτατοι,* cum in reliqua paragraphi parte nil nisi nomina gentium, urbium, fluviorum legantur. Cuius additamenti priorem partem Polybii esse, paulo infra (p. 30) demonstrabitur; posterior autem ex fonte recentiore fluxit, de cuius aetate certi quidquam nondum enucleari potest.

Iam adiungam de iis quid existimem, quae Zimmermann p. 352 sq. de ultimis huius paragraphi disseruit verbis: *τῆς μὲν οὖν Ὠρητανίας κρατιστεύουσά ἐστι πόλις Καστουλὼν καὶ Ὠρία.* Quae ut melius intellegamus, comparanda sunt Artemidori fragmenta apud Steph. Byz. s. v. *Κασταλών* servata: *μεγίστη πόλις Ὠρητανίας, ὡς Ἀρτεμίδωρος τρίτῳ γεωγραφουμένων* .. et s. v. *Ὠρισία* ... *Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων* ... *πρῶτον μὲν Ὠριτανοί, πόλεις δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι Ὀρσία καὶ Κασταλών.* Qui loci duas praebent offensiones, et quod Strabo post verba *κρατιστεύουσά ἐστι πόλις* non unam, sed duas urbes enumerat, et quod Stephanus

altero loco tertium, altero secundum Artemidori librum laudat. Ac Zimmermann, qui Stiehlii coniecturam pro *τρίτῳ* apud Steph. Byz. s. v. *Καστaλών* „*δευτέρῳ*“ proponentis ut iusto audaciorem respuit, demonstrare conatur re vera duobus locis Artemidorum Castulonis mentionem fecisse, et in altero libro internam, et in tertio libro exteram oram Hispaniae depingentem: dilucide enim patere ex Strab. III. 3, 2 p. 152 C. eum oceani litora legentem etiam gentes mediterraneas enarrasse. Quod ego quominus credam, impediunt ea, quae paulo supra de hac paragrapho exposui.

Iam vero cum iis, quae ex fragmentis de ordine circuitus Artemidorei comperta habemus, pugnantia contendit Zimmermann, cum sumat in tertio libro Hispaniae litora oceano contacta descripta esse. Unicum enim fragm. 31 [1]), quod praeter Stephanum ad hanc opinionem affirmandam proferre potest, me quidem iudice ad dispositionem, quam aliunde certo novimus, disturbandam evertendamque non sufficit. Nonne potuit fieri, ut Artemidorus Galliam depingens nescio quo casu Belitanorum mentionem iniceret? Pariter statuendum est apud Steph. Byz. s. v. *Καστaλών* vel librarii vel Stephani ipsius vitium irrepsisse. Sed Zimmermanni ratione res minime plana fit. Immo Krameri adnotatione recte intellecta manifestum est apud Strab. III. 3, 2 p. 152 C. nihil mutandum esse, dicet enim ille: „Caeterum iure mireris Strabonem de primaria Oretaniae urbe loquentem duo nomina subicere, atque suspicari inde possis scribendum esse *κρατιστεύουσαί εἰσι πόλεις* (sic Artemidorus *πόλεις*

---

1) fr. 31 Steph. Byz. s. v. *Βελιτανοί, οἱ αὐτοὶ τοῖς Λυσιτανοῖς, ὥς Ἀρτεμίδωρος ἐν τρίτῃ γεωγραφουμένων.*

δ' ἐν αὐτοῖς εἰσι μεγάλαι), sed similes quidem structurae, praemisso praedicato, saepius apud Strabonem inveniuntur."

Quibus rebus demonstrasse mihi videor nullum argumentum sat firmum esse, quo Zimmermann nobis persuadeat Artemidorum peripli auctorem esse. Huc accedit, quod c. 1, 9 p. 140 extr. C. mensura, quae quantum inter se distent promunturium Sacrum et Gades indicat, plane discedit ab Artemidori fr. 11 (apud Strab. III. 2, 11 p. 148 C.). Nam c. 1, 9 hoc spatium minus 2000 st., c. 2, 11 non amplius 1700 st. porrigi narratur, quam rem Zimmermann ita explicat, ut *ἐλάττους ἢ δισχιλίους* idem valere dicat atque 1700 st. Sed nec plane intellego causam, qua commotum Strabonem hoc fecisse putat, et ex c. 1, 9 p. 140 C. certissime evinci potest rem ita se non habere. Altera enim mensura (230 m. p. = 1840 st.), quae de eodem spatio editur (*τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου....*), cum opponatur priori (*ἐλάττους ἢ δισχιλίους σταδίους*), consequitur, ut Strabo in circuitu numerum legerit, qui minor fuit 2000 st. et maior 1840 st.

Nihil igitur invenitur, quod Artemidorum circuitus auctorem esse testetur: immo vero nonnulla ita obstant, ut contrarium certissimum sit. Quae sententia mea duabus praeterea rebus confirmatur, primum quod per se non magna cum specie veri sumitur Hispaniae oras oceano cinctas Artemidorum exacte dixisse collatis his locis: Marc. Her. Ep. Per. Menipp. 3 (Müller G. Gr. min.): (*Ἀρτεμίδωρος*) *θεασάμενος δὲ καὶ τὴν νῆσον τὰ Γάδειρα καὶ μέρη τινὰ τῆς ἐκτὸς θαλάττης, ἣν ὠκεανὸν καλοῦσι, τῆς μὲν ἀκριβοῦς γεωγραφίας λείπεται, τὸν δὲ*

περίπλουν τῆς ἐντὸς Ἡρακλείου πορθμοῦ θαλάσσης... ἐν ἕνδεκα διεξῆλθε βιβλίοις.

Marc. Her. Peripl. Mar. Ext. II, 2 (Müller): *τῆς δὲ ἔξω θαλάττης, ἥτις ὠκεανὸς παρὰ τῶν πλείστων καλεῖται, εἰ καὶ μετρίως τινῶν μερῶν ὁ προειρημένος ἐμνημόνευσεν Ἀρτεμίδωρος....*

Altera autem ex parte considerandum est peripli indolem plane alienam esse ab ea, quam ex Artemidori fragmentis a Stiehlio congestis et ex Strabonis libri partibus ab eo petitis cognitam habemus (cfr. p. 6).

Quaestione ad hunc finem perducta iudicium de ea re ferre possumus, quam supra (p. 19) in suspenso reliquimus, unde habeat Strabo ultima verba c. 1, 6 p. 139 C. inde ab *τείνει δὲ ἡ χώρα αὕτη....* Zimmermann ea Artemidoro tribuit ut peripli auctori, ego quidem ea ab illo aliena esse eadem de causa contendo.

Quibus rebus absolutis Zimmermann ad internum Hispaniae circuitum transit, quam se quaestionem ita instituturum esse promittit, ut ea, quae peripli esse appareat, Artemidoro reddat, cum ab eo periplus maris exteri depromptus sit. Si autem consideraverimus, quae praedixi, persuasum nobis erit hanc causam solam minime sufficere, ut, ubi nullam nisi hanc protulit Zimmermann, non opus sit novis argumentis, quibus ego evincam Artemidorum fontem non esse.

Age, singula videamus. Ac primum quidem hac in re facio cum Zimmermanno, quod p. 351 sumit c. 4, 1 p. 156 C. ab Artemidoro alienam esse, cum pugnet cum periplo. Cuius rei exemplum capitur ex c. 1, 3 p. 137 C., ubi Hispaniam 6000 st. extendi dicitur, cum loco, de quo sermo est, 4000 st. exhibeantur.

Iis autem plane repugno, quae de § 2 protulit, quam

ut Artemidoream esse evincat, auxilium expetit ex fr. 18 (apud Steph. Byz. s. v. *Ὠρισία*): *Ἀρτεμίδωρος ἐν δευτέρῳ γεωγραφουμένων· ἀμφότεροι γάρ, φησί, κατοικοῦσι τὴν παραλίαν καί τινα τῆς μεσογαίου, πρῶτον μὲν Ὠρητανοί.* Ac suspicatur ante haec Artemidori verba ea, quae Strabo initio c. 4, 2 narrat, scripta fuisse inde ab *ῥάχις ἐστὶν ὀρεινὴ* ad *ἀπὸ τῆς μεσογαίας.* Quod dicat Stephanus *πρῶτον μὲν Ὠρητανοί,* Strabo autem Bastetaniam priore loco commemoret, nihil offensionis habere, cum Oretanis parvam, Bastetanis magnam partem orae habitantibus is, qui tradat: *πρῶτον μὲν Ὠρητανοί,* dicere possit *ῥάχις τῆς Βαστητανίας καὶ τῶν Ὠρητανῶν.* Quod nego. Is enim, qui dicit *ῥάχις τῆς Βαστητανίας* et quae sequuntur, pergere nequit *πρῶτον μὲν Ὠρητανοί.* Explicatio Zimmermanni prava est, nisi Artemidorum primo de gentibus, deinde de ora ipsa egisse sumitur. Quod si fecit, Bastetanos priore loco enumerare licuit. Eo autem ordine, quo Zimmermann vult, verba apud Stephanum servata cum Strabonianis coniungi non potuerunt. Huc accedit, quod Stephanus Byz. hoc Artemidori fragmentum ex orae maritimae descriptione certo non hausit, cum ille exorsus ab Herculis columnis Bastetanos ante Oretanos memorare deberet. Ex illa igitur Artemidori libri parte, in qua hic de Hispaniae gentibus disseruit, id Stephanus Byz. sumpsisse videtur. Quibus rebus iterum iterumque perpensis Zimmermanni sententiam sequi nolui.

Neque in reliqua peripli parte quae Zimmermann contendit, ullo modo comprobantur, cum in tanta fragmentorum Artemidori penuria cum Strabone nil fere comparare possimus. Nam quod fragm. 19 (apud Steph. Byz. s. v. *Ἡμεροσκοπεῖον*) mentio fit Hemeroscopii etiam

c. 4, 6 p. 159 C. nominati, hoc nihil demonstrare, omnibus concedendum est.

Cum igitur corruerint, quae Zimmermann statuit, cumque demonstraverim, unde hic periplus Hispaniae haustus non sit, iam quaerendum est, quis fuerit auctor. Ac Posidonii quidem fragmenta, quae servata sunt optime consentiunt cum Strabone. Primum conferendum est fragmentum apud Strab. III. 2, 9 p. 147 C.: *ἐν δὲ τοῖς Ἀρτάβροις, οἳ τῆς Λυσιτανίας ὕστατοι πρὸς ἄρκτον καὶ δύσιν εἰσίν* cum Strab. III. 3, 5 p. 153 C. *ὕστατοι δ' οἰκοῦσιν Ἄρταβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίου πλευρᾶς καὶ τῆς βορείου πέρας ἐστίν.*

Deinde quae dicuntur III. 1, 3 p. 137 C. de situ Pyrenaei montis, conspirant cum iis, quae secundum Posidonium narrant et Diod. 5, 35, 2 *παρήκει* (sc. *τὰ Πυρηναῖα*) *γὰρ ἀπὸ τῆς κατὰ μεσημβρίαν θαλάττης σχεδὸν ἄχρι πρὸς τὸν ὑπὸ τὰς ἄρκτους ὠκεανόν .... παρεκτείνει σταδίους ὡς τρισχιλίους* et Strab. IV. 1, 14 p. 188 C.: *Ἵδρυται δ' ἡ Τολῶσσα κατὰ τὸ στενώτατον τοῦ ἰσθμοῦ τοῦ διείργοντος ἀπὸ τῆς κατὰ Νάρβωνα θαλάττης τὸν ὠκεανόν, ὅν φησι Ποσειδώνιος ἐλάττω τῶν τρισχιλίων σταδίων.* Uberrime autem iam Müllenhoff[1]) demonstravit omnia, quae Diod. 5, 33 ad 38 exhibet, fluxisse ex Posidonio[2]).

---

1) 'Müllenhoff, Deutsche Altertumskunde' II p. 310—318.

2) Praeterea conferenda sunt ea, quae Evers ('Ein Beitrag zur Untersuchung der Quellenbenutzung bei Diodor' p. 40) de metallis apud Diodorum, Strabonem, Athenaeum secundum Posidonium descriptis disseruit. Inde enim cognoscimus, quam neglegenter hi tres nomina exscripserint, cum Diodorus eadem de Pyrenaeis, Strabo de Turdetaniae

Praeterea apud Strab. II. 5, 14 p. 119 C. leguntur haec: *δυσμικώτατον μὲν γὰρ σημεῖον τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Ἰβήρων ἀκρωτήριον, ὃ καλοῦσιν Ἱερόν*, quae idem de situ promunturii Sacri produnt ac III. 1, 4 p. 137 C. Atqui ex libro altero quae citavi verba certo sunt Posidonii paulo post laudati [1]). Habemus igitur novum opinionis meae argumentum.

Denique commemorem. II. 5, 27 p. 127, 128 C. iisdem fere verbis, quibus III. 1, 3 p. 137 C. depingi formam Hispaniae.

III. 1, 3 p. 137 C. *ἔοικε γὰρ βύρσῃ τεταμένῃ,*	II. 5, 27 p. 127, 128 C. *ἡ Ἰβηρία, βύρσῃ βοείᾳ παραπλησία,*
κατὰ μῆκος μὲν ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ἐπὶ τὴν ἕω, τὰ πρόσθια ἐχούσῃ μέρη πρὸς τῇ ἕῳ.	*τῶν ὡς ἂν τραχηλιμαίων μερῶν ὑπερπιπτόντων εἰς τὴν συνεχῆ Κελτικήν· ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τὰ πρὸς ἕω.*
ἔχει δὲ σταδίων ἑξακισχιλίων ὁμοῦ τὸ μῆκος, πλάτος δὲ πεντακισχιλίων τὸ μέγιστον.	*μῆκος δὲ τῆς χώρας ταύτης ἐστὶ περὶ ἑξακισχιλίους σταδίους τὸ μέγιστον, πλάτος δὲ πεντακισχιλίους.*
. . . καὶ μάλιστα πρὸς τῇ Πυρήνῃ τῇ ποιούσῃ τὴν ἑῴαν πλευράν.	*καὶ τούτοις ἐναποτέμνεται τὸ πλευρὸν ἑῷον, ὄρος ἡ καλουμένη Πυρήνη.*

montibus, Athenaeus de Alpibus narret. Proinde ne dubitaveris, si apud hos scriptores easdem descriptiones mutatis nominibus vel regionum vel gentium legeris, eas eidem auctori tribuere.

1) Müller, Fragm. hist. Graec. III. 287, fr. 81.

III. 1, 3 p. 137 C. . . . τὸ δὲ νότιον ἥ τε καθ' ἡμᾶς θάλαττα ἀπὸ τῆς Πυρήνης μέχρι Στηλῶν.	II. 5, 27 p. 127, 128 C. αὕτη (sc. Ἰβηρία) δ' ἐστὶ περίρρυτος τῇ θαλάττῃ τὸ μὲν νότιον τῇ καθ' ἡμᾶς μέχρι Στηλῶν,
. . . τέταρτον δὲ τὸ ἐνθένδε μέχρι τῶν βορείων ἄκρων τῆς Πυρήνης.	τὰ δὲ λοιπὰ τῇ Ἀτλαντικῇ μέχρι τῶν βορείων ἄκρων τῆς Πυρήνης.

Itaque dubitare non possumus, quin utroque loco idem fons statuendus sit. At interim dixerit quispiam, II. 5, 27 p. 127, 128 C. Eratosthenem auctorem esse, cum is quoque secundum Strab. II. 4, 4 p. 106 C. Hispaniam 6000 st. longam esse tradiderit. Sed illa duo dubito num cum hac sententia conciliari possint, unum, quod supra (p. 15) vidimus Eratostheni res Hispanicas non satis notas fuisse, alterum, quod III. 1, 3 p. 137 C. Posidonium auctorem iure sumimus; itaque II. 5, 27 p. 127, 128 C. idem statuendum est, praesertim cum sciamus Posidonium in secundo Strabonis libro saepissime adhibitum esse.

Quem in modum postquam, quis circuitus auctor fuerit, demonstravi, restat, ut discernam, quae aliunde addita sunt.

Incipiam a c. 1, 6 p. 139 C., ubi verba ab ἣν οἱ Κελτικοὶ νέμονται ad ὑπὸ Ῥωμαίων Zimmermann p. 336, 337 eidem recte tribuit auctori, cui c. 3, 5 p. 154 C. ultimam partem ab εὐδαίμονος δὲ τῆς χώρας ὑπαρχούσης. Bene autem consentiunt, quae posteriore loco narrantur, cum Polybio 34, 8, 4 (Hultsch.), itaque ex eo fluxit utraque pars. Iam vero cum sciamus iussu Bruti Callaeci Lusitanos alias in sedes transmigrasse, quod idem

dicitur nostro loco Bruti nomine omisso, magna cum probabilitate omnes huius libri partes, in quibus illius mentio est, derivare licet e Polybio, unde hic locus originem duxit, nisi gravioribus argumentis et indiciis ad aliam sententiam adducimur. Quod cur Vogelio Ph. A. displiceat, non perspicio.

Venio nunc ad alteram eiusdem paragraphi partem *σοφώτατοι δ' ἐξετάζονται* ad *ὥς φασιν*, quam Zimmermann p. 338 collatis verbis c. 2, 15 p. 151 C: *Τῇ δὲ τῆς χώρας εὐδαιμονίᾳ καὶ τὸ ἥμερον καὶ τὸ πολιτικὸν συνηκολούθησε τοῖς Τουρδητανοῖς . . . ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος . . .* Polybio tribuit. Sed adsentientem me Zimmermanno Curtius Wachsmuth, praeceptor illustrissimus, edocuit id solum ex hoc Strabonis loco concludi posse, secundum Polybium Celticos cognatos esse Turdetanis, locum vero ita esse comparatum, ut sumere liceat, Strabonem, non Polybium ipsum inspexisse, sed eum in fonte suo memoratum invenisse. Nihil igitur inde auxili nobis affertur ad eruendum auctorem, cui c. 1, 6 verba lecta debeantur. Ac nobis, qui aliam viam ingredi debemus, id praesertim respiciendum est ex ipsius Strabonis verbis elucere eum, qui ea exhibuerit, peritissimum fuisse morum huius populi. Quem autem potius de scribendi arte Turdetanorum locutum esse putemus quam qui illam eos docuit, Asclepiadem? cfr. c. 4, 3 p. 157 C: *Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, ἀνὴρ ἐν τῇ Τουρδητανίᾳ παιδεύσας τὰ γραμματικὰ καὶ περιήγησίν τινα τῶν ἐθνῶν ἐκδεδωκὼς τῶν ταύτῃ.* c. 2, 15 p. 151 C. autem, cum ibi Turdetanos mores suos ad Romanos accommodasse narretur, auctori recentioris aetatis attribuamus.

Quae sequuntur verba *καὶ οἱ ἄλλοι* ad *γλώττῃ μιᾷ* Zimmermann Artemidoro reddit, iniuria opinor; nam

fragmentum (apud Stephanum Byz. s. v. Ἰβηρίαι): γραμματικῇ δὲ χρῶνται τῇ τῶν Ἰταλῶν οἱ παρὰ θάλατταν οἰκοῦντες τῶν Ἰβήρων, quo fulcire studet opinionem, cum nostro loco conferri omnino non licet, cum Artemidorus de iis loquatur Hispaniae gentibus, quae litora tenent, Strabo autem de reliquis praeter Turdetanos Iberis. Cum igitur non habeamus, cur Artemidorum auctorem statuamus, suspicari licet haec quoque Asclepiadis esse.

Denique verba *καλοῦσι δ' ἀπὸ μὲν τοῦ ποταμοῦ Βαιτικὴν* et *νυνὶ δ' ἐν αὐτοῖς οὐδεὶς φαίνεται διορισμός*, cum statum recentiorem describant, inserta sunt partibus ex auctore primario petitis.

Ultima verba § 7 p. 140 C., cum diserte ex Timosthenis libro afferantur, non a Posidonio condita esse luce clarius est; utrum autem ea ab Timosthene ipso Strabo petierit, an Posidonius iam receperit, haec quaestio digna est, quae accuratius tractetur. Cum enim rarissime ex illius opere aliquid apud Strabonem laudetur, suspicari licet eum ab ipso Strabone non adhibitum esse, sed ab illius auctoribus. Quod uno loco ex eius verbis elucet: I. 2, 21 p. 29 C: *φησὶ δὲ Ποσειδώνιος μηδένα οὕτως παραδεδωκέναι τοὺς ἀνέμους τῶν γνωρίμων περὶ ταῦτα, οἷον Ἀριστοτέλη, Τιμοσθένη.* Quod exemplum eo clarius et ad disceptandam quaestionem, quae de nostro loco orta est, illustrius est, quod ibi Strabo per Posidonium Timosthenis sententiam novit. Iam vero reliquis omnibus locis, ubi Timosthenis verba laudantur, tam pauca ex eo deprompta esse videmus, ut verisimile sit apud auctorem suum Strabonem mentionem eius invenisse. Quod ut facilius intellegatur, statim apponam locos: XIII. 2, 5 p. 618 C. *ὡς δὲ Τιμοσθένης φησὶ τετταράκοντα* (sc. *νησία*). Quae verba inserta sunt Lesbi descriptioni, quam

supra demonstravi (p. 7) Artemidoro reddendam esse. Alter locus est XVII. 3, 6 p. 829 C. *ἔστι δὲ τὸ Μεταγώνιον κατὰ νέαν που Καρχηδόνα ἐν τῇ περαίᾳ· Τιμοσθένης δ' οὐκ εὖ κατὰ Μασσαλίαν φησίν.* Hic quoque ea, quae antecedunt et quae sequuntur, Artemidori sunt, (p. 17). Quae cum ita sint, totam nostram paragraphum ad Posidonium redire contendo.

Aliunde, non ex periplo petita esse ea, quae c. 1, 8 p. 140 C. de Zeli narrantur *ἦν δὲ καὶ Ζῆλις* ad *Ἰουλίαν Ἴοζαν τὴν πόλιν*, hoc Zimmermanno adsentior; sed eum non recte intellexisse, quemadmodum haec narratio composita esset, cum supra exposuerim, meum est, quid sentiam explicare. Atque equidem arbitror Strabonem circuitus descriptionem rebus mutuo sumptis amplificantem haec ex recentiore quodam auctore interposuisse.

Neque rectius me iudice Zimmermann dixit verba *ἔστι δ' ἡ νῆσος* ad *ἁπασῶν ἐστιν* ex alio fonte fluxisse, quod, quae infra (c. 5 p. 169 ss. C.) permulta de Gadibus narrantur, ea coniungi nequirent cum hoc loco: *ἔστι δ' ἡ νῆσος αὕτη τἆλλα μὲν οὐδὲν διαφέρουσα τῶν ἄλλων.* Sed nonne haec conclusio falsa est, nisi uberiorem illam capitis quinti descriptionem peripli auctori deberi demonstratum est?

§ 9 p. 140 C. Zimmermann secrevit iure ex circuitus tenore *ἐνταῦθα δέ που* ad *σωτηρίας χάριν*, sed quae de origine huius additamenti ipse cunctanter protulit, displicent, quia inde, quod Posidonium peripli auctorem esse scimus, consequitur, ut haec ex alio quodam deprompta sint. Ad rectum finem, aliqua certe ex parte, pervenisse mihi videtur Schweder l. l. II. 72, qui, cum Mela III. 4 simile quid narret, verba *καὶ ὁ τοῦ Καιπίωνος*

ad *ἀμφικλύστου* Romano auctori addicit. Quam causam sufficere nego; de re tamen consentio, cum in extrema paragrapho inde ab *τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου* Romanum auctorem adhibitum esse mensuris, quae milibus, non stadiis fiunt, comprobetur. Praeterea in hac quoque re facio cum Schwedero, quod ille verba *πόλις Ἔβουρα* ad *Λοῦκεμ δουβίαν* ex Romano fonte hausta esse contendit, cum ad causas a Schwedero allatas accedat, quod commemorato hoc oppido tenor circuitus interrumpitur. Nam sive sumimus Eboram esse castellum Eboram Melae (III. 4) sive Eburam a Ptolemaeo III. 4, 9 nominatam, falso loco enumeratur, quod illa Mela teste inter Gades et Hastam sita est, haec secundum Ptolemaeum mediterranea paulo magis ad septentriones provecta est, quam Onoba, cum eam Strabo oram inter Baetim et Anam patentem peragrans enarret.

Transeo nunc ad c. 3 p. 151 sq. C. et statim de § 4 p. 153 C. loquar, cum de primis capitis paragraphis iam antea verba fecerim. Quam descriptionis partem ornatam esse iis, quae alii scriptores exhibuerunt, ipsa Strabonis verba indicant: *ὃν τινες Λιμαίαν, οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσιν, . . . οἱ δὲ Μίνιόν φασιν.* Sed praeterea nonnulla secernenda sunt, quae originem aliunde ducere Strabo non profitetur, sed totius loci nexu evincitur. Quo enim modo idem auctor praebere potest: (*Βαῖνις*) *πολὺ μέγιστος τῶν ἐν Λυσιτανίᾳ ποταμῶν, ἐπὶ ὀκτακοσίους καὶ αὐτὸς ἀναπλεόμενος σταδίους* et (*Δούριος*) *μεγάλοις τ' ἀναπλεόμενος σκάφεσιν ἐπὶ ὀκτακοσίους σχεδόν τι σταδίους*: cum Baenis 800 st., Durius autem ad 800 st. navigabilis sit, quomodo dici potest, illum longe maximum Lusitaniae fluvium esse? Verbis igitur

inde ab *οἱ δὲ Μίνιόν φασι* ad *ἀναπλεόμενος σταδίους* alii auctori tributis minime haerendum nobis est in eo, quod in sequentibus Posidonius, cuius hanc descriptionem esse putamus, diserte laudatur (*Ποσειδώνιος δὲ* sq.). Zimmermann autem p. 345, cum Strabo his verbis Posidonii sententiam opponat rebus paulo ante prolatis *καὶ οὗτος δ' ἐκ Κελτιβήρων καὶ Οὐακκαίων ῥεῖ*, contendit Lusitaniae oras Strabonem non secundum Posidonium, sed alium quendam (quem Artemidorum esse sibi persuasit) depinxisse. Quod lubricum esse concedent omnes qui, id quod supra (p. 3, 9) exposui, reputaverint, in hanc descriptionem permultas res alienae originis insertas esse. Quod cum certissimum sit, quid est, quod verba *καὶ οὗτος* ad *ῥεῖ* cum Posidonio pugnantia non item primario fonti abiudicemus?

Haec autem res extra dubitationem est, finem paragraphi inde ab *Ποσειδώνιος δὲ* exceptis scilicet ultimis verbis ab *τῆς μὲν οὖν Βρούτου στρατείας* Posidonii esse [1]).

De § 5 cum iam supra (p. 8—10) copiosius dictum sit, nunc tractandum est c. 4, cuius de § 1 cum iam Zimmermann p. 351 recte disseruerit, supersedeo repetere, quae ab illo disputata sunt; addam, a fonte primario hunc stadiasmum alienum esse eo quoque comprobari, quod III. 1, 3 p. 137 C. longitudo Hispaniae 6000 st., hoc autem loco 4000 st. colligitur.

§ 2 p. 156 C. iam supra (p. 26) tractavi; restat, ut de verbis *ταύτην τινὲς* ad *Φοινικικῇ τῷ σχήματι* pauca dicam. Ac me in hac re Zimmermanno, qui ea ex periplo eiecit, nimis assentiente monuit Curtius

---

1) cfr. Müller, Frag. hist. Graec. III. 295 fr. 98.

Wachsmuth, cum hoc quoque fieri potuerit, ut auctor, quem Strabo adhibuit, haec adderet, non neccessario ea secernenda esse.

§ 3 p. 157 C. nihil ex Posidonio haustum est nisi verba usque ad *ὡς Ποσειδώνιός τε εἴρηκε*. Quae sententia vel eo firmatur, quod is inter auctores, qui nulla temporum ratione enarrantur, primario loco laudatur.

§§ 4 et 5 neglectis videamus, quid de § 6 statuendum sit. Atque hic quoque Zimmermann nimius mihi videtur, qui narrationem de situ et munitionibus Carthaginis inde ab *καὶ γὰρ ἐρυμνότητι* ad *περὶ ὧν εἰρήκαμεν* insiticiam esse ideo existimat, quod in universum congruit cum Polyb. X. 10. Sed cur non existimemus haec fuisse in periplo, in quo de his rebus verba facta esse luce clarius sit? Sed alia res digna est, quae uberius tractetur. Compares, quaeso, quae in hac paragrapho dicuntur: (*Καρχηδών*) *κρατίστη πολὺ τῶν ταύτῃ πόλεων* cum § 7 p. 159 C. (*Ταρράκων*) *κατεσκευασμένη τοῖς ἄλλοις ἱκανῶς, καὶ οὐχ ἧττον εὐανδροῦσα νυνὶ τῆς Καρχηδόνος. πρὸς γὰρ τὰς τῶν ἡγεμόνων ἐπιδημίας εὐφυῶς ἔχει, καὶ ἔστιν ὥσπερ μητρόπολις οὐ τῆς ἐντὸς Ἴβηρος μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐκτὸς τῆς πολλῆς*. Nonne haec plane inter se pugnant? Sed ea ipsa re fit, ut, utrum § 6 verba an § 7 addita sint, diiudicare possimus. Nam quo opulentior et illustrior Augusti temporibus Tarraco reddebatur, eo magis diminuebatur Carthaginis potentia [1]). Videmus igitur, quae § 6 p. 158 C. leguntur, ex antiquiore fonte ea demanasse, cum § 7 p. 159 C. recentiori adsignanda sit. Cum vero alterutrum additamen-

1) Hübner, 'Tarraco und seine Denkmäler'. Hermae vol. I, 107.

tum esse debeat, quid est aptius, quam recentiorem narrationem insertam esse putare? Secernamus igitur § 7 p. 159 C. verba supra exscripta.

Praeterea monendum Strabonem in hac § 6 componenda non strenue ordinem peripli sequi; quod ut faceret, eum commotum esse dispositione stadiasmi Zimmermann p. 356 sumit; non satis apte, ut mihi videtur, cum natura loci haec ora Carthagine nova et Iberi ostio (cfr. Polyb. XXXIX. 6) dividatur, cumque ne ex hac quidem ratione satis intellegatur, cur Strabo oram inter Sucronem et Carthaginem sitam ordine perverso peragret. Ergo neglegentiorem Strabonem fuisse statuamus.

De ea porro re dissideo a Zimmermanno, quod ea, quae de Sertorio narrantur, a periplo aliena esse arbitratur. Quod ego, qui Posidonium proponam, statuere nullo modo cogor, cum testetur Strabo XI. 1, 6 p. 492 C. eum Pompei facta descripsisse: *προστίθει δὲ τούτοις, ὅτι καὶ τὴν ἱστορίαν συνέγραψε τὴν περὶ αὐτόν* (sc. *Πομπήιον*).

Sed alia, quae Zimmermanno nullam praebebant offensionem, seiungenda sunt, quippe quae neque Artemidoro nec Posidonio nota esse potuerint. Quod enim in fine paragraphi Dertossa colonia nominatur, quae deducta est Augusto imperante, hoc ab circuitus auctore originem non duxit. Ac consideranti mihi, utrum hoc solum *κατοικία* secernam an plura, peropportune cadit, quod etiam in iis, quae antecedunt, non omnia ad peripli ordinem procedunt. Oleastrum enim, quod Strabo inter Saguntum et Dertossam commemorat, secundum Itin. Ant. 399 inter Tarraconem et Dertossam situm est. Quae duae offensiones cum hoc uno enuntiato contineantur, ne tantillum quidem dubito haec recentiori auctori tribuere.

§ 8 finem inde a verbis ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ἡ Ῥοδόπη, cum Zimmermanni argumenta, quibus innixus p. 359 sq. ἐνταῦθα ad Ῥοδίων φασί Timaeo, reliqua Polybio adserit, incertissima sint, cum Hansenio l. l. Polybio reddo.

Nunc perscrutemur, quid valeant, quae Zimmermann p. 362 sq. de § 9 fontibus protulit. Persuasum enim habet viam a Pyrenaeo monte ad Obulconem tendentem depictam esse secundum Iulii Caesaris carmen Iter, quod ille auctore Suetonio (Caes. 56) composuit, cum ad debellandos Pompei filios in Hispaniam proficisceretur. Quod ut coniceret duabus maxime causis motus est, primum quod in hac paragrapho Caesar narratur viginti septem dierum itinere Roma Obulconem venisse, tum quod Obulcone memorata finiatur descriptio. Sed hoc, quod posteriore loco posui, non recte dictum est, cum breviter via usque ad Gades enarretur: τὰ περὶ Καστλῶνα καὶ Ὀβούλκωνα, δι' ὧν εἴς τε Κορδύβην καὶ εἰς Γάδειρα ἡ ὁδός. In universum autem hanc coniecturam fragilem esse Vogel (Ph. A.) rectissime contendit, cum parum de hoc carmine compertum habeamus, et possumus contra Zimmermannum eodem uti argumento, quo ille ceteras de Caesare coniecturas refutat p. 363: „neque si libros deperditos, quibus Caesaris res gestae memoriae traditae sunt, circumspicimus, quidquam proficimus, cum nihil certi cognosci possit." An de Itinere quidquam? Adice, quod Zimmermanni sententia nullo modo probabilis est, nisi existimare licet, in Caesaris ipsius descriptione, quot diebus iter perfecisset, non dictum fuisse. „Nam si hoc in ipso carmine memoratum fuisset, Strabo rerum scriptores certe non citasset". Cum vero apud Suetonium l. c. legamus: „novissimum

(sc. librum fecit), dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicesimo die pervenit", nonne verisimillimum est Suetonium, qui, quae de Itinere exhibet perlecto certe illo carmine scripsit, indidem etiam ea hausisse, quae modo exscripsi? Utcumque res se habet, non intellegimus, qua de causa Strabo ad exornandam suam descriptionem ad illos συγγραφέας confugerit. Sed quosnam hos esse arbitremur? Asinium Pollionem, quem Vogel statuit, Zimmermann ob id viae descriptionis auctorem fuisse negat, quod ille, dum Caesar bellum gessit, in Africam transvectus est. Non recte dictum. Cur enim fieri non potuit, ut Asinius, etiamsi illo tempore in Hispania non versaretur, hanc viam depingeret? Ac mecum dubitante, quinam essent illi συγγραφεῖς — indiget enim etiam Vogelii opinio firmo fundamento — Curtius Wachsmuth pro singulari sua humanitate communicavit, quonam sua de his rebus sententia inclinaret. Cum enim apertum sit Strabonem nostro loco breviter comprehendere, quae in hypomnematis suis historicis uberius de Caesaris itinere disseruerat, συγγραφεῖς ii scriptores intellegendi sunt, quorum auctoritatem secutus in altero illo opere Caesarem his viis profectum esse narraverat. Itaque quinam illi fuerint, incompertum est.

Priusquam ad alterius capitis auctores indagandos accedam, pauca de nomine Βεττέρων adiungam, quod in media § 9 legitur. Quod idem esse ac Praetorium (Itin. Ant. 398), ita ut Betteres significet idem ac Veteranos vel Veteranorum coloniam, Wesseling ingeniosius quam verius coniecit, cum et in Itin. Ant. et in Itin. Aqu. Apoll. (Henze 5210) et apud Geogr. Rav. eodem loco commemorentur Seterrae vel Seterra. Multo igitur probabiliore coniectura pro Βέττερες scribemus Σέτερρες.

Iam quaestionem instituam de capite altero, qua in re respiciendum est, quod supra (p. 10, 11) secundum Zimmermannum exposui de ratione, qua Strabo in Turdetania perstringenda auctorem primarium adhibuerit. Inde efficitur, ut omnia, quae in altero capite de eisdem rebus eisdem fere verbis narrantur atque in c. 1, 6—9 p. 139, 140 C., eidem auctori tribuenda sint. Cum enim c. 1, 7—9 p. 139, 140 C. ad eundem fontem redeant, etiam hae conferendae sunt, suntque nonnulla addenda, quae Zimmermann aut omisit aut, quia c. 1, 6 p. 139 C. tantum conferebat, omnino neglexit: c. 1, 6 p. 139 C. *αὕτη δ᾽ ἐστίν, ἣν Βαῖτις διαρρεῖ ποταμός*, et c. 2, 1 p. 141 C. (*τὴν Τουρδητανίαν*), *ἣν ὁ Βαῖτις διαρρεῖ ποταμός*.

c. 1, 8 p. 140 C. *ἀνδρείᾳ δὲ τῶν ἐνοικούντων τῇ περὶ τὰς ναυτιλίας καὶ φιλίᾳ πρὸς Ῥωμαίους τοσαύτην ἐπίδοσιν εἰς πᾶσαν εὐτυχίαν ἔσχεν, ὥστε καίπερ ἐσχάτη ἱδρυμένη τῆς γῆς, ὀνομαστοτάτη τῶν ἁπασῶν ἐστιν* (sc. *Γάδειρα ἡ νῆσος*).	c. 2, 1 p. 141 C. *πλεῖστον δ᾽ ἥ τε Κόρδυβα ηὔξηται . . . καὶ ἡ τῶν Γαδιτανῶν πόλις, ἡ μὲν διὰ τὰς ναυτιλίας καὶ διὰ τὸ προσθέσθαι Ῥωμαίοις κατὰ συμμαχίας.*

Praeterea et c. 1, 9 p. 140 C. et c. 2, 5 p. 143 C. mentio est Astae et Nabrissae, quae urbes adiacent aestuario.

Cum igitur videamus c. 2, 1 p. 141 C. et c. 2, 5 p. 143 C. aliqua ex parte bene concinere cum iis capitis primi partibus, quae Posidonii sunt, iam extra dubitationem est alterius quoque capitis paragraphos modo laudatas eiusdem auctoris esse. Altera autem quaestio oritur, num §§ 2—4 indidem manaverint. Ac percurrentes

§§ 1—5 primum haeremus in fine § 1, quo ipso, cum Hispalis colonia Romanorum Caesaris temporibus deducta sit [1]), auctor Posidonio recentior indicatur. Quam ad rem optime quadrat, quod verba, quae hanc Hispalis mentionem excipiunt (*νυνὶ δὲ* ....), demonstrant auctam esse Posidonii descriptionem rebus aliunde haustis.

Eadem de causa aliena a Posidonio sint necesse est, quae § 2 narrantur, cum ibi res post eius aetatem gestae memorentur nec quidquam inveniatur, quod conspiret cum c. 1, 6—9 p. 139, 140 C. Nullius enim momenti est, quod Asta enarratur, cum ea mentio, quae § 5 p. 143 C. obvia est, multo melius quam quae nostro loco legitur cum c. 1, 9 p. 140 C. comparari possit.

Secernamus igitur et ultimam partem § 1 p. 141 C. inde ab *καὶ αὐτὴ ἄποικος Ῥωμαίων* et § 2 p. 141 C. a Posidonio. In paragraphis autem 3 et 4 p. 142, 143 C. non modo non inveniuntur, quae contra Posidonium faciant, sed etiam, quousque flumina navigari possint, eadem ratione explicatur, qua id in partibus ad Posidonium relatis factum supra vidimus (p. 11). Legas haec c. 2, 3 p. 141, 142 C: (*ὁ Βαῖτις*) *ἀναπλεῖται σχεδόν τι ἐπὶ χιλίους καὶ διακοσίους σταδίους ἐκ θαλάττης μέχρι Κορδύβης .... μέχρι μὲν οὖν Ἰσπάλιος ὁλκάσιν ἀξιολόγοις ὁ ἀνάπλους ἐστὶν ἐπὶ σταδίους οὐ πολὺ λείποντας τῶν πεντακοσίων, ἐπὶ δὲ τὰς ἄνω πόλεις μέχρι Ἰλίπας ταῖς ἐλάττοσι, μέχρι δὲ Κορδύβης τοῖς ποταμίοις σκάφεσι ... τὸ δ' ἄνω τὸ ἐπὶ Καστλῶνος οὐκ ἔστι πλόιμον.*

c. 2, 4 p. 142 C: (*ἀναχύσεις*) *ἀναπλεόμεναι παραπλησίως ἐκ θαλάττης οὐ μικροῖς μόνον, ἀλλὰ καὶ μεγάλοις σκάφεσιν εἰς τὰς ἐν τῇ μεσογαίᾳ πόλεις.*

---

1) CIL. II p. 152.

Bene consentit cum nostra opinione, quod, quae § 3 p. 142 C. spatii inter Baetis ostium et Cordubam patentis mensura traditur, ea optime conciliari potest cum § 1 p. 140 C. Dicit enim Strabo § 3 Cordubam ab ostio Baetis 1200 st. abesse, cum § 1 Baeticae latitudinem 2000 st. exhibeat. Qui consensus idcirco magnam vim atque auctoritatem habet ad id, quod posui, defendendum, quia et Itin. Ant. 409 et It. Aqu. Ap. (Henzen 5210) intervallum multo maius, $\overline{\text{CCLXXXXIV}}$ et $\overline{\text{CLXXXXII}}$ p., inter Cordubam et fluminis os interesse praebent.

Iam vero commemorandum est fragmentum Posidonii (apud Strab. III. 5, 9 p. 175 C. servatum), quod Ilipam 700 st. a mari abesse narrat, consentire cum huius paragraphi mensura, secundum quam Hispalis ad 500 st. a fluvii ostio remota est.

Quibus cum paragraphis arte cohaeret § 5 p. 143, 144 C. quam et ob id ipsum et quod, ut iam supra (p. 39) dixi, de una re consentit, cum c. 1, 9 p. 140 C. ex eodem fonte demanasse persuasum mihi est. Cui rei minime obstat, quod in extrema paragrapho Posidonius laudatur, cum saepius accidat, ut Strabo eum auctorem, quem sequitur, tum demum nominatim indicet, postquam iam multa ab eo deprompsit. Quae res paulo infra exemplo certissimo comprobabitur [1]).

Cuius autem auctoris sint, quae sequuntur, facilius reperiemus initio facto ab § 7 p. 145 C., cum ibi Polybius non solum laudetur, sed etiam alteram paragraphi

1) cfr. praeterea R. Zimmermann 'Posidonius u. Strabo'. Hermae vol. XXIII. p. 125. Quae alia Z. in hac dissertatione de locis a me tractatis disseruit, ea respicere non potui, cum quaestione mea iam absoluta publici iuris facta essent.

partem ei adscribere liceat. Verba enim *τρέφεται* (sc. *ὁ θύννος*) *δὲ βαλάνῳ δρυΐνῃ φυομένῃ κατὰ τῆς θαλάττης χαμαιζήλῳ τινὶ παντάπασιν, ἁδρότατον δ' ἐκφερούσῃ καρπόν* idem praebent, quod Polyb. XXXIV. 8, 1—2 (Hultsch.) apud Athenaeum VII. 302 c *Πολύβιος .... φησὶν ὅτι βάλανοί εἰσιν κατὰ βάθος ἐν τῇ αὐτόθι θαλάττῃ πεφυτευμέναι, ὧν τὸν καρπὸν σιτουμένους τοὺς θύννους πιαίνεσθαι.* Quominus haec ex eodem fonte fluxisse putem, ne hac quidem re impedior, quod apud Athenaeum legimus Polybium id enarrasse *περὶ τῆς ἐν Ἰβηρίᾳ Λυσιτανίας χώρας διαλεγόμενον.* Evers enim l. l. p. 40 (cfr. p. 27, ann. 2) alio exemplo exposuit, quam parvi momenti talis differentia esset. Praeterea Strabonis verba in media fere paragrapho *καὶ ἄλλα πλείω τῶν τοιούτων ὄψων* similia sunt Polyb. XXXIV. 8, 6 apud Athen. VIII. 330 extr. *τὸ δὲ θαλάττιον ὄψον.* Apud me igitur in confesso est totam paragraphum Polybio deberi, praesertim cum Strabo, quae sit magnitudo animalium, eadem subtili ratione tradat, qua Polybius l. l. pretia frumenti, vini, aliarum rerum.

Scimus igitur inter §§ 5 et 7 Strabonem desiisse Posidonio uti et Polybium usurpare coepisse. Quod factum esse arbitror initio § 6 p. 144 C., cum ibi nova descriptionis pars incipiat, cumque in hac paragrapho repetatur, quod iam in antecedente dictum erat, plurimas Hispaniae naves ad Italiam advehi: § 5 p. 143 C. *ἅπασα δ' ἡ ἐμπορία πρὸς τὴν Ἰταλίαν ἐστὶ καὶ τὴν Ῥώμην*, § 6 p. 145 C. *ὁλκάδες γὰρ μέγισται παρὰ τούτων πλέουσιν εἰς Δικαιαρχίαν καὶ τὰ Ὤστια, τῆς Ῥώμης ἐπίνειον.* Quae eiusdem rei repititio cum eodem modo explicari nequeat, quo rerum c. 1, 6—9 p. 139, 140 C. commemoratarum, Strabonem alium auctorem secutum esse necesse est.

Neque hoc neglegendum, quod, quanti ematur aries, exacte dicitur: *ταλαντιαίους γοῦν ὠνοῦνται τοὺς κριοὺς εἰς τὰς ὀχείας.*

Postquam statuimus, ubi Polybius adhiberi coeptus sit, reliquum est, ut, quousque adhibitus sit, certis finibus circumscribamus. Quod quamquam invictis argumentis demonstrari non potest, tamen verisimillimum puto ante § 9 p. 147 C., ubi Posidonius laudatur, Strabonem nullum alium auctorem secutum esse.

Qua re perfecta indagare studebo, unde Strabo c. 3, 6—8 p. 154—156 C. hauserit. Quod ut statuatur, primum cum Strabone comparanda sunt, quae Diodorus V. 33—34 de eadem gente profert. Atque facile omnes concedent minime inter has descriptiones tantam similitudinem intercedere, quantam inter Posidonii fragmentum apud Strabonem c. 2, 9 p. 149 C. servatum et Diodorum (p. 27). Sed ne de singulis quidem rebus ita consentiunt, ut concludere liceat, eundem scriptorem adhibitum esse; de levioribus tantum rebus idem narrant, velut de clipeis: Strab. § 6 p. 154 C: *ἀσπίδιον δ' αὐτοὺς δίπουν ἔχειν τὴν διάμετρον* = Diod. V. 34, 4: *φοροῦσι δ' ἐν τοῖς πολέμοις πέλτας μικράς;* vel de saltando Strab. § 7 p. 155 C.: *καὶ παρὰ πότον ὀρχοῦνται πρὸς αὐλὸν καὶ σάλπιγγα χορεύοντες, ἀλλὰ καὶ ἀναλλόμενοι καὶ ὀκλάζοντες* = Diod. V. 34, 5: *ἐπιτηδεύουσι δὲ κατὰ μὲν τὴν εἰρήνην ὄρχησίν τινα κούφην καὶ περιέχουσαν πολλὴν εὐτονίαν σκελῶν, ἐν δὲ τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνουσι.*

Inveniuntur autem, quae inter se dissentiant: Strabo § 6 p. 154 C: *σπάνιοι .... χρῶνται καὶ τριλοφίαις, οἱ δ' ἄλλοι νευρίνοις κράνεσιν,* et Diod. V. 33, 3: *περὶ δὲ τὰς κεφαλὰς κράνη χαλκᾶ περιτίθενται φοινικοῖς ἠσκημένα*

λόφοις. Vel Strabo l. l. *ἀκόντια δ' ἕκαστος πλείω· τινὲς δὲ καὶ δόρατι χρῶνται, ἐπιδορατίδες δὲ χάλκεαι* et Diod. V. 34, 5: *χρῶνται δὲ καὶ σαυνίοις ὁλοσιδήροις ἀγκιστρώδεσιν*.

Quae cum parum conspirent, minime dubito Müllenhoffio adstipulari, qui l. l. II. p. 311 carere omni probabilitatis specie dicit, Strabonem et Diodorum hoc loco eundem auctorem sequi. Diodorus vero cum sua Posidonio debeat, concludendum est Strabonem alium quendam adhibuisse. Iam circumspiciamus, num quid auxilii e Strabonis verbis ad hanc quaestionem disceptandam peti possit. Atque in his paragraphis passim mores Lusitanorum conferuntur cum Graecorum: § 6 p. 155 C: *ἐνίους δὲ τῶν προσοικούντων τῷ Δουρίῳ ποταμῷ Λακωνικῶς διάγειν φασίν*, § 7 p. 155 C: *ποιοῦσι δὲ καὶ ἑκατόμβας ἑκάστου γένους Ἑλληνικῶς . . . γαμοῦσι δ' ὥσπερ οἱ Ἕλληνες*. Inde apertum est Strabonem Graecum quendam sequi. Ac me a vero aberrantem, cum Polybium auctorem esse existimarem, iterum ad rectam viam reduxit Curtius Wachsmuth, qui hoc loco aptissime de Asclepiade Myrleano cogitari mihi persuasit. Comperimus enim iam supra eum in opere, quod composuit de Turdetania, etiam aliarum Hispaniae gentium mentionem iniecisse. Huic igitur, quem scimus populos praesertim eorumque mores enarrasse, hanc copiosam Lusitaniae descriptionem tribuamus. §§ 6 et 7 p. 155 C. totae ab eo depromptae sunt, paragraphus autem 8 p. 156 C. continet ea, quae duo auctores de eisdem rebus narraverunt, quod elucet ex sententias adnectendi ratione: *ἧττον δὲ νῦν . . . ἀλλὰ νῦν . . . στρατεύουσι νῦν*. Antiquiori auctori, quem ex iis, quae modo exposui, Asclepiadem Myrleanum esse apparet, haec tribuenda sunt: *τὸ δὲ δυσήμερον* ad *φι-*

λάνθρωπον, τοιαύτης δ' οὔσης ad *ἀτοπίαν*, reliqua recentiori, qui quo tempore fuerit, infra demonstrare conabor. Cui rei priusquam operam navabo, pauca dicam de § 7 parte, ubi Brutus Callaecus commemoratur, *διφθερινοῖς τε πλοίοις* ad *μονόξυλα ἤδη σπάνια.* Supra enim (p. 29, 30), cum de omnibus iis locis agerem, in quibus Bruti mentio est, in universum assentiri me Zimmermanno ea Polybio adsignanti dixi, nisi argumenta maioris momenti de hac sententia me deducerent. Quod factum est nostro loco, qui Zimmermannum omnino fugit, cum nulla ego re cogar novum fontem statuere verbaque illa Asclepiadi abiudicare.

Age nunc quaeramus, quid de iis partibus enucleari possit, quas segregandas esse ab auctore primario putavi. Atque in hac quoque quaestione incipere iuvat a locupletissimo illo loco III. 3, 3 p. 152 C., cum inde, cuius aetatis auctor ibi adhibitus fuerit, aliqua ex parte nosci liceat. Ex iis enim, quae supra de singularum Hispaniae provinciarum terminis exposui, efficitur, ut ille post annum 12 a. Chr. n. (quo Agrippa mortuus est) librum condiderit. Nullo igitur modo de Agrippae chorographia cogitare licet, et hac de causa, et quod latitudinis Lusitaniae $\overline{\text{DXXXVI}}$ p. mensura, quam ille fr. 24 apud Plin. IV. 118 exhibet, multum a Strabonis auctore differt, secundum quem illa multo minus 3000 st. patet.

Deinde ratio habenda est loci iam supra laudati III. 4, 7 p. 159 C. *καὶ κατεσκευασμένη* ad *τῆς πολλῆς*. Apertum enim est ex verbis *ὥσπερ μητρόπολις* (sc. *Ταρράκων*) Tarraconem, quamquam iam opulenta erat, nondum tamen caput Hispaniae citerioris fuisse. Potestas autem huius urbis augebatur Augusti temporibus, atque

inter eius Claudiique aetatem prima urbs exstitit. Itaque verba c. 4, 7 p. 159 C., de quibus nunc agitur, aut sub finem regni Augusti aut paulo post scripta sunt.

Iam vero cetera additamenta, quae quo tempore condita sint, coniectando assequi licet, sunt haec: III. 1, 8 p. 140 C. ἦν δὲ καὶ Ζῆλις ad Ἰουλίαν Ἴοζαν τὴν πόλιν, cum hoc nomen aut a Caesare aut ab Augusto datum esse necesse sit. Deinde finis c. 2, 1 p. 141 C. post Caesaris aetatem (p. 39), c. 2, 2 p. 141 C. Sexto Pompeio mortuo Mileti anno 35 a. Chr. n., et c. 4, 6 p. 159 C. non ante Augustum (p. 36) composita sunt. Comprobatur igitur temporum ratione, quod per se verisimillimum est, haec additamenta omnia ad eundem auctorem redire. Qui quis fuerit, haec quaestio nunquam fore ut ad certum finem perducatur existimo, Romanum autem eum fuisse et particulae c. 1, 4 p. 138 C. et 8 p. 140 C. additae testantur, nec quidquam invenitur, quod nos aliud quid cogat statuere.

Quibus rebus expositis cum iam quaestio, quam de circuitu Hispaniae institui deque iis partibus, quae cum periplo cohaerent, profligata sit, transitum faciam ad librum sextum decimum.

Liber XVI.

Huius libri de fontibus cum hucusque nihil certi exploratum sit, rem aptissime, opinor, ita instituam, ut unius tantum auctoris fragmenta e toto libro eliciam, quo facto fundamentum exstructum erit, unde iis, qui reliquarum libri partium originem indagare studebunt, ordiendum erit. Ac dubitanti mihi, cuius potissimum auctoris fragmentis operam darem, optimum videbatur Ar-

temidorum tractare, quo satis constat Strabonem saepissime usum esse.

Atque in primo quidem capite, ubi de Assyria agitur, nulla Artemidori vestigia inveniuntur; cumque etiam inter fragmenta perpauca tantum sint, quae hanc tractent regionem, Artemidorum hanc terrae partem obiter tantum tetigisse crediderim.

Quae sit condicio capitis alterius de Syria compositi, nunc quaeramus. Hoc primum apparet non periplum quendam primarium fontem fuisse, cum descriptio in universum minime cursum litoris sequatur, sed et urbes mediterraneas et in litore sitas inter se mixtas enumeret; ut § 4 p. 749 C. Antiochia, Seleucia, Pieria, Apamea, Laodicea, § 5 p. 750 C. Daphne commemorantur. § 7 p. 751 C. urbium Euphratem versus sitarum mentio est, Bambyces, Beroeae, Heracleae. Sed paucis locis fortasse peripli vestigia relicta sunt. Legitur § 8 p. 751 C. *πρὸς θαλάττῃ δὲ τούτων ἐστὶν ἡ Σελεύκεια καὶ ἡ Πιερία, ὄρος συνεχὲς τῷ Ἀμανῷ, καὶ ἡ Ῥωσός, μεταξὺ Ἰσσοῦ καὶ Σελευκείας ἱδρυμένη*, et initio sequentis paragraphi p. 751 C. *Εἶτα Λαοδίκεια, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ κάλλιστα ἐκτισμένη καὶ εὐλίμενος πόλις.* Quibus de verbis nonnulla dicenda sunt. Primum nulla fere causa potest excogitari, cur Strabo Seleuciam, Pieriam, Rhosum ordine enumeret, qui plane adversus est ei, quem in percurrenda Phoenice persequitur. Deinde cum hac enumeratione conciliari vix potest ea, quae § 12 p. 753 C. datur: *ὁ δὲ παράπλους ὁ λοιπὸς ἀπὸ τῆς Λαοδικείας ἐστὶ τοιοῦτος· τῇ γὰρ Λαοδικείᾳ πλησιάζει πολίχνια, τό τε Ποσείδιον καὶ τὸ Ἡράκλειον καὶ τὰ Γάβαλα.* Qui locus omnibus, qui eum legerint contulerintque cum § 8 p. 751 C. movebit scrupulos. Quo modo Strabo narrare potest Posi-

dium et Heracleam ab meridie Laodiceae sitas esse, quo iure earum omnino mentionem facere, cum iam antea multo rectius commemoratae sint? Neque hoc neglegendum § 8 p. 751 C. oppidum *Ἡράκλεια*, § 12 autem *Ἡράκλειον* nominari. Iam cum non liceat locum coniectura sanare, statuendum est non eundem fontem utroque loco adhibitum esse. Cum vero Strabo alio atque ingressus est ordine hanc partem describat, auctorem, quem secutus est, eodem modo rem enarrasse optimo iure sumitur. Atqui ex fragmentis comperimus Artemidorum alterum servasse tenorem, cum Aegypto, Arabia, India, Parthia descripta ad Phoenicen perveniret. Itaque § 12 p. 753 C. alius scriptor atque Artemidorus auctor sit necesse est. Quod adeo demonstrare possumus. Servavit enim Steph. Byz. s. v. *Κάρνη* ipsa verba Artemidori: *Ἀρτεμίδωρος δ' ἐν τῷ δεκάτῳ* (secundum Stiehlium fr. 112 fortasse rectius *ἐνάτῳ*) *βιβλίῳ φησίν· „ἔστι Κάρνος καὶ συνεχῶς Πάλτος, εἶτα Γάβαλα πόλις“*. Strabo autem § 12 p. 753 C. haec profert: *καὶ τὰ Γάβαλα· εἶτ' ἤδη ἡ τῶν Ἀραδίων παραλία, Πάλτος καὶ Βαλαναία καὶ Κάρνος, τὸ ἐπίνειον τῆς Ἀράδου, λιμένιον ἔχον.* Patet igitur Artemidorum nec loco apud Stephanum citato, neque ullo alio Balaneae urbis mentionem fecisse, nam vocula *συνεχῶς* comprobatur secundum eius mentem inter Carnum et Paltum nullam interfuisse urbem. Praeterea Strabo nonnulla adiecit, quae apud Artemidorum non sunt. Unde sequitur, ut § 12 p. 753 C. ex eo non petita sit.

Continuatur hic periplus § 15 p. 754 C., ubi eundem scriptorem adhibitum esse inde certissime evincitur, quod in utraque paragrapho Eleutherus fluvius Orthosia meridiem versus enumeratur. Hoc autem adversatur iis, quae ceteri antiquitatis geographi docuerunt, cfr. Plin.

V. 78; Ptol. V. 15, 4. Eiusdem denique originis reliquam litoris descriptionis partem esse, verisimillimum est, cum nihil inveniatur, quod contra hanc sententiam faciat. Finitur periplus § 33 p. 760 C. verbis *τοιαύτη μὲν ἡ Φοινίκη*.

Cum demonstraverim initium inde a § 12 p. 753 C. non Artemidoreum esse, hoc de toto cursu statuendum est. Quod uno loco, quem conferre possumus, confirmatur. § 27 p. 758 C. enim inter Aken et Stratonis turrim enumerantur Carmelus et oppida Sycaminon, Bucolon, Crocodilon. Stephanus autem Byzantius nonnulla verba epitomes Artemidori servavit s. v. *Δῶρος* (fr. 111) secundum quae inter Carmelum et Stratonis turrim Dora sita est. Mirum esset, si Strabo hanc unam urbem omisisset, cum alias, quarum nomina tantum nota erant, commemoraret.

Tum autem § 33 p. 760 C. post *τοιαύτη μὲν ἡ Φοινίκη* sequuntur Artemidoro auctore citato (*φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος*) mensurae litoris inde a Ciliciae finibus usque ad Pelusium. His ipsis verbis indicari mihi videtur eum in iis, quae antecedunt, aut omnino non adhibitum esse aut raro. Qua cum re optime consentit, quod supra demonstrare studui, § 8 p. 751 C. perpauca ei tribuenda esse: quamquam non negem argumenta multo firmiora et certiora requirenda esse, priusquam tota res extra dubitationem posita sit, tamen, cum propter inopiam omnium rerum, quae nos possint iuvare, ad certum finem pervenire non liceat, iis, quae interim assecuti sumus, contenti esse debemus. Sed aliam quaestionem me spero profligaturum esse, quae adhuc occultata est et tenebris circumfusa. Traditur enim idem Artemidori fragmentum, quod hic habemus, etiam XIV. 5, 3 p. 670 C; cum

vero numeri inter se non conveniant, valde ambigitur, quomodo haec difficultas tollatur. XIV. 5, 3 p. 670 C. haec leguntur: ab ostio Pelusiaco ad Orthosiam 3900 st., inde ad Orontem 1130 st., inde ad portas 525 st., ad Celenderem, fines Ciliciae, 1260 st. contra XVI. 2, 33 p. 760 C. haec: ab Orthosia ad ostium Pelusiacum 3650 st., si quis sinus intret, a Melaenis ad fines Ciliciae Syriaeque 1900 st., inde ad Orontem 520 st., inde ad Orthosiam 1130 st.

Valde discordant inter se hi numeri, qua de causa Groskurd in adnotatione versionis suae eos locos hunc in modum scribendum esse censuit: XIV. 5, 3 p. 670 C: 3600, 1130, 525, 1920; XVI. 2, 33 p. 760 C: 3650, 1920, 1130, 520. Cui minime adsentior; primum enim cum Kramero monendum est XVI. 2, 33 in omnibus codicibus extare 1900, non, quod inde a Casaubono omnes editores et interpretes in textum receperunt, 1920. Quomodo in hunc errorem Casaubonus inciderit, optime Kramer in adnotatione l. l. explicat. Sed alia praeterea contra Groskurdi coniecturam monenda sunt. Videamus, quibus ille rationibus ductus XIV. 5, 3 p. 670 C. tam violenter mutaverit. Corrigendum esse 3900 in 3600, 1260 in 1920 idcirco putavit, quod haec mensura a vero multo minus aberraret quam illa. Sed hoc argumentum parvi tantum momenti esse luce clarius est, cum sciamus mensuras omnium antiquitatis geographorum non tam accuratas esse, ut quae propius ad verum accedant quam aliae, eas scriptori ipsi vindicare liceat. Per se enim intellegitur illos geographos intervalla accurate metiri non potuisse. Hoc vel inde elucet, quod, quantum pateat spatium aliquod, eiusdem aetatis scriptores numeris inter se diversis tradunt. Quae cum ita sint, hanc unam

causam, quam Groskurd attulit, sufficere nego ad probandas duas coniecturas, quae propter ipsam violentiam fere omni probabilitatis specie carent.

Sed nunc quaerendum mihi est, quomodo haec difficultas expediri possit. Quod dicat fortasse quispiam tali ratione fieri posse, ut Strabonem altero loco intervalla sinuum ratione habita, altero omissa computasse sumamus. Ac primo obtutu hoc non inepte dictum esse videtur, cum ei numeri inter se differant, qui quantum distent duo loca in litore incurvo sita produnt. Attamen, quominus ei adsentiamur obstat, quod XVI. 2, 33 p. 760 C. ubi minor numerus 3650 extat, disertis verbis eum effici pronuntiatur, si quis sinus intret. Quod nullo modo conciliari potest cum XIV. 5, 3 p. 670 C, ubi maior numerus traditur. Itaque nisi Strabonem duas numerorum series, quarum altera in sinus deflecteret, altera recto cursu progrederetur, inter se confudisse ac perturbasse statuimus, res ita explicari non potest.

Alia igitur via ineunda nobis est. Ac si accurate utrumque comparamus locum XVI. 2, 33 p. 760 C. et XIV. 5, 3 p. 670 C., videmus alia quoque in re eos non plane idem praebere. Nam XIV. 5, 3 p. 670 C. intervallum, quod interest inter Celenderem et portas: XVI. 2, 33 p. 760 C. illud, quod patet inter Melanas et fines Ciliciae, enarratur. Puto igitur iam apud Artemidorum duobus locis, et cum Ciliciam describeret, et cum Syriae Phoenicesque oram percurreret, has res scriptas esse. Nam intellegi vix potest, quomodo factum sit, ut Strabo eundem locum, cum bis excerperet, tali modo corrumperet.

Neque ita absurdam esse hanc opinionem ut demonstrem, locus quidam libri decimi septimi me iuvat,

de quo, quid statuerit Vogel (Ph. 415), ea ipsa de causa extra ordinem iam nunc explicabo. Narrat enim Strabo XVII. 3, 20 p. 836 C. Taenarum a Phycunte Cyrenes 2800 st. abesse, cum VIII. 5, 1 p. 363 C. idem intervallum 3000 st. patere dicat. Eundem numerum reperimus apud Agathemerum § 24, quem hoc loco ex Artemidoro hausisse verisimillimum est. Quod alter numerus 2800 st. apud Plinium V. 31 extat, me quidem iudice nil valet ad muniendum Strabonianum; nam, ut infra (p. 78) a me copiosius exponetur, Plinius l. l. Artemidoro eum non debet. Attamen 2800 in 3000 mutare nolim, cum haec discrepantia alio modo explicari possit. Optime enim Vogel l. l. admonet et apud Strabonem XVII. 3, 20 p. 836 C. et apud Agath. 24 memorari, quantum distet Phycus a Taenaro, cum Strabo VIII. 5, 1 p. 363 C. dicat, quantum absit Taenarum a Phycunte. Inde licet colligere Artemidorum in describenda Graecia non eundem fontem adhibuisse, quem in enarrando Cyrenes litore. Atque inde nostro quoque loco praesidium peti potest; alter locus alterum tuetur. Itaque, ut brevi comprehendam, quo mea inclinet sententia, neutro loco, nec XIV. 5, 3 p. 670 C. nec XVI. 2, 33 p. 760 C., numeri immutandi sunt.

Qua re perfecta pergamus Artemidori fragmenta, quae quidem lateant in libro decimo sexto, indagare. Atque in capite tertio, in quo agitur de sinu Persico, cum nihil Artemidori proprium obvium sit, de capite quarto statim loquar, ubi Strabo ipse illum auctorem suum esse expressis verbis pronuntiat, § 4 extr. p. 769 C. et § 5 in p. 769 C: *τὰ μὲν δὴ τοῦ Ἐρατοσθένους περὶ τῆς Ἀραβίας τοιαῦτα· προσθετέον δὲ καὶ τὰ παρὰ τῶν ἄλλων.* (5). *Φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος.* Quibus verbis incipit copiosa

descriptio, qua et litus sinus Arabici ad ortum vergens et populi, qui in illis regionibus habitant, accurate depinguntur. Initio § 18 p. 776 C. leguntur verba: *Ταῦτ' εἰπὼν περὶ τῶν Τρωγλοδυτῶν καὶ τῶν προσχώρων Αἰθιόπων ἐπάνεισιν* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*) *ἐπὶ τοὺς Ἄραβας*. Inde apparet ea, quae inter hos duos locos extant, aut universa aut magna ex parte ex Artemidoro deprompta esse. Quae suspicio vel inde confirmatur, quod saepissime leguntur formulae istius modi: § 14 p. 774 C. *φησίν* . . . § 15 p. 774 C. *ὥσπερ Ἀρτεμίδωρός φησιν*. (p. 775 C.) *ἐκεῖνος δὲ προσδιασαφεῖ* . . . § 16 p. 775 C. *ὅσον εἴρηκεν Ἀρτεμίδωρος* . . . . *φησίν* . . . *ὥς φησιν οὗτος* . . . . *εἴρηκεν Ἀρτεμίδωρος*. Quid, quod iis locis, quibus non dilucide exprimitur, quemnam Strabo loquentem faciat, illae dictiones omnino non intelleguntur, nisi vel per totam vel per maximam partem uno eodemque scriptore Strabo usus est? Hoc certo statui potest, omnibus locis, ubi illa verba a me collecta leguntur, Artemidorum fontem fuisse. Itaque non video, quid sit causae, cur Stiehle, cum l. l. p. 222 fragmenta eius, quae ad Troglodyticen spectant, componeret, ultima verba § 14 p. 774 C. et § 15 p. 774, 775 C. non item inter has reliquias receperit. Tamen nondum licet omnia, quae inde a § 5 p. 769 C. ad § 18 p. 776 C. narrantur, Artemidoro tribuere, cum nonnullis locis Strabo vel de suo pauca inseruerit, ut § 15 p. 774 C: *οὗτοι δὲ μικρὸν ἀπολείπονται τῶν ἐλεφάντων* . . . *ἐκ μὲν δὴ τοῦ ὑφ' ἡμῶν ὁραθέντος ταῦτά φαμεν ἡμεῖς*, vel ex aliis scriptoribus ut § 16 p. 775 C: *ἃ δ' ὁ Σκήψιος λέγει Μητρόδωρος ἐν τῷ περὶ συνηθείας βιβλίῳ μύθοις ἔοικε καὶ οὐ φροντιστέον αὐτῶν*.

Quae cum ita sint, primum id petendum est, ut

etiam alia ratione accuratius definiamus, quanta totius descriptionis pars Artemidorea sit. Ac nobis id quaerentibus maximum subsidium praebet Diodori Siculi liber tertius et epitome, quam Photius Agatharchidei operis *περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης* fecit. Constat enim et Diodorum Siculum et Artemidorum hausisse ex Agatharchide. Nam Artemidorum eum novisse et memorasse cognoscitur ex Strabonis verbis XVI. 4, 19 extr. p. 778 C. et c. 4, 20 p. 779 C. in: *Ταῦτα μὲν περὶ τούτων εἴρηκε* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*), *τἆλλα δὲ τὰ μὲν παραπλησίως τῷ Ἐρατοσθένει λέγει· τὰ δὲ καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ἱστορικῶν παρατίθησιν* (20 C. 779) . . . *Ἀγαθαρχίδην δὲ* . . . *ἱστορῆσαι.* Diodorum autem eius vestigia legisse nemo non videbit, qui vel obiter in editione Mülleriana Geogr. Graec. min. I. 111 et quae sequuntur comparaverit cum eis, quae Diodorus et Agatharchides apud Photium de iisdem rebus tradiderunt.

Itaque si et apud Strabonem et apud Diodorum idem invenimus, dubium esse non potest, quin ille Artemidoro, hic Agatharchide in conficiendis libris usus sit. Videamus nunc singula.

Strab. XVI. 4, 5 p. 769 C. inde a verbis *εἶτα ἄλλην πόλιν Ἀρσινόην* ad *τὸν Ἀκάθαρτον κόλπον* idem traditur, quod apud Diodorum III. 39, 1—3, *ὁ καλούμενος ἀκάθαρτος*.

§ 6 p. 770 C. = Diod. III. 39, 4—9.

§ 7 p. 770 C. usque ad verba *ὅπερ πλεονάζει κατὰ τὸν πόρον* = Diod. III. 40, 1—3.

§ 9 p. 771 C. usque ad *ὥσπερ τὰς ῥίζας οἱ Ῥιζοφάγοι* = Diod. III. 23, 1, *κατὰ γὰρ τὴν Αἰθιοπίαν* usque ad III. 24, 1.

ἀπὸ δένδρων δὲ ad *τοῖς ἀνήβοις παισί* idem ac Diod. III. 25.

§ 10 p. 771 C. ab initio usque ad *μέχρι μέσου χειμῶνος* = Diod. III. 31, 1—3.

p. 772 C. *κατοικοῦσι δ' Ἐλεφαντοφάγοι* ad *νευροκοποῦσιν* = Diod. III. 26.

ἄλλοι δὲ σημειωσάμενοι ad *ἀνατέμνουσιν αὐτό* = Diod. III. 27.

§ 11 p. 772 C. *Ὑπέρκειται δὲ* ad *θέοντες δὲ ὀξέως* = Diod. III. 28, 1—3, *τῆς γῆς ἐπιψαῦον.*

πολεμοῦσι δὲ ad *χρώμενοι* = Diod. III. 28, 6.

§ 12 p. 772 C. = Diod. III. 29, 1—4, *ἀπὸ τούτων τῶν ζώων ὑπάρχει* et III. 30, 1—2, *φυγεῖν ἐκ τῶν τόπων.*

§ 13 p. 773 C. *συνάγουσι δὲ ταῖς ἀμπώτισιν* ad *καὶ συστάδας θαλάττης* = Diod. III. 15, 4—7; 16.

ἔστι δ' αὐτοῖς καὶ usque ad finem = Diod. III. 17, 1—5, *παρεμφερὴς τῷ μεθύοντι.* III. 15, 3; 19, 1—4.

§ 14 p. 773 C. ab initio usque ad *ἀναλαμβανομένους ὑπὸ τῶν πλημμυρίδων* = Diod. III. 21, 5; 19, 5—6.

§ 15 p. 774 C. *φέρει δὲ καὶ παρδάλεις* ad *ἀλλ' ἐλέφαντι μᾶλλον* = Diod. III. 35, 2.

p. 775 C. *ἐκεῖνος δὲ προσδιασαφεῖ* usque ad finem paragraphi = Diod. III. 35, 2.

§ 16 p. 775 C. exceptis eis, quae et Strabo ipse adiecit et quae Metrodoro debentur, idem praebet quod Diod. III. 35, 4—10.

§ 17 p. 775, 776 C. fere tota excepto tantum ultimo enuntiato idem quod Diod. III. 32, 1—33, 4.

Sed praeter has partes, quae, quoniam et apud Strabonem et apud Diodorum extant, apud illum Artemidoro tribuendae sunt, hoc quoque inquirendum, num quid

auxilii Agatharchides iis locis praebeat, quos hucusque nondum ad Artemidori auctoritatem revocavi. Qui cum in his regionibus describendis Agatharchide usus sit, etiam ea omnia, quae apud Strabonem cum Agatharchide congruunt, ex Artemidoro petita sunt.

Nec spes nos fefellit. Videmus enim § 9 p. 771 C. enuntiatum *τόξοις χρωμένων καλαμίνοις καὶ πεπυρακτωμένοις οϊστοῖς* ad eandem rem spectare, ad quam Phot. 52, *εἰσὶ καὶ τοξείας ἐπιστήμονες.*

§ 10 p. 772 C. ultima verba *τοὺς δὲ κυνηγοὺς οἱ Νομάδες ἀκαθάρτους καλοῦσιν* occurrunt apud Agatharchidem 57 (apud Phot.): *ὅτι τῶν κυνηγῶν τούτων, οὓς οἱ Νομάδες ἀκαθάρτους καλεῖν εἰώθασιν . . . .*

In eadem paragrapho p. 772 C. in.: *τινὲς δὲ καὶ τοξεύμασιν* ad *τοῦ δ' ἕλκοντος τὴν νευρὰν* concinunt cum Agath. 54 apud Phot., uno excepto, quod me quidem iudice non multum refert; secundum enim Agatharchidem duo viri nervum unius arcus trahunt, quem unus tenet, cum apud Strabonem duo teneant, unus trahat.

Quod § 11 p. 772 C. apud Strabonem inde ab *θηρεύουσι δ' αὐτούς* ad *τὰ δέρματα ταῦτα* narratur, id paucis verbis persequitur Agath. 57 ap. Phot.: *οἱ καλούμενοι Στρουθοφάγοι, οἳ ταύτας* (sc. *τὰς στρουθοὺς*) *τέχνῃ καὶ δόλῳ καὶ ῥυπάλοις θηρεύοντες ἐκ τούτων βιοῦσι, σιτούμενοι μὲν τὰς σάρκας, ἐν δύσει δὲ καὶ στρωμνῇ τοῖς αὐτῶν χρώμενοι δέρμασιν.*

De nutriendis conchis edendisque apud Strabonem § 13 p. 773 C: *εἶτ' ἰχθύδια* ad *ἐν τῇ τῶν ἰχθύων σπάνει* parcius, apud Agath. 35 ap. Phot. explicatius tractatur.

§ 15 p. 774 C: *πληθύει δ' ἐλέφασιν* ad *κατὰ τὴν Ἀραβίαν* comparandum est cum Agath. 68, 69 ap. Phot.,

quae, quamquam non plane ad idem coëunt, ex eodem tamen fonte fluxisse nemo negabit. Nam discrepantiae quomodo levari possint, C. Müller ad Agath. l. l. optime exposuit.

Nunc circumspiciamus, quid praeterea optimo iure Artemidoro dari possit. Ac primum quidem cum Stiehlio tota paragraphus 5 p. 769 C. quippe quae obliqua, quam dicunt, oratione utatur, inter fragmenta Artemidorea numeranda est.

Tum in fine § 14 p. 774 C., ubi *φησίν* invenitur, ultimum certe enuntiatum ex hoc scriptore depromptum est; quanta autem pars eorum, quae antecedunt, eiusdem originis censenda sit, hac de re postea uberius dicturus sum.

Postremo mea quidem sententia etiam ultima § 17 p. 776 C. verba Artemidori sunt, et quod omnia, quae antecedunt, istius sunt, et quod sequuntur verba *Ταῦτ᾽ εἰπών* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*).

Quas nondum ad eundem fontem rettuli, hae sunt partes:

§ 7 p. 770 C. a verbis *ὅπου γε καὶ δένδρα φύεται* ad fin. § 8 p. 771 C.

§ 9 p. 771 C. med. *μετὰ δὲ τὴν Ἐλαίαν* ad *γυμνητῶν ἀνθρώπων κατοικία*, et inde ab *μετὰ δὲ τοὺς Κόνωνος βωμοὺς* ad finem.

§ 10 p. 771 C. fin. *τῷ δ᾽ Ἀντιφίλου λιμένι* ad *καλούμενον*.

§ 13 p. 772, 773 C. ab initio ad *στύραξ οὐκ ὀλίγος*.

§ 14 p. 773, 774 C. maxima pars inde a verbis *τῶν δὲ νήσων τινὲς τρεῖς ἐφεξῆς κεῖνται* usque ad *τὸ Νότου κέρας*.

§ 15 p. 774 C. *Εἰσὶ καὶ στῆλαι* ad *τὸ δὲ διάστημα*

οὐ γνώριμον. Pars ab *οὔτε πύξῳ τὸ χρῶμα* ad p. 775 C: *ταῦτά φαμεν ἡμεῖς* ab ipso Strabone inserta est.

Quae omnia nunc paulo diligentius tractabo. Atque omnes animadvertent in describendis regionibus — nil aliud enim nisi hoc exhibent — saepius eadem vel fere eadem nomina redire, ut in hac litoris parte complures eiusdem nominis et urbes et gentes statuendae sint. Occurrunt § 8 p. 770 C. *στόμα Σαβαϊτικόν* et in eadem regione *λιμὴν Σαβά* et tum § 10 p. 771 C. *Σαβαί, πόλις εὐμεγέθης.* Qua re dubitatio movetur, utrum plures urbes discernendae sint, an forte eadem intellegenda sit, errore vel neglegentia scriptoris, qui complures fontes adhibuerit, bis commemorata. Quod discrimen ut diiudicemus, aliorum geographorum opera pervestiganda nobis sunt. Apud Plinium omnino nihil de hac urbe traditur, nisi forte VI. 172 oppidum Sacae idem est; apud Ptolemaeum autem IV. 7 haec leguntur: *Βωμὸς Ἔρωτος, ἄκρον, Σαβαστρικὸν στόμα, Μέγας αἰγιαλός, κολοβὸν ὄρος, ἄκρον Σαβὰτ πόλις* sq., alterius urbis eodem nomine vel simillimo praeditae nusquam mentio fit. Optime autem ea congruunt cum iis, quae apud Strabonem § 8 p. 770 C. inveniuntur; nam neminem tam stolidum fore spero, qui *Σαβαστρικὸν στόμα* et *Σαβαϊτικὸν στόμα,* tum *Σάβα* et *Σαβάτ* idem esse neget.

Eandem offensionem praebet *Βερενίκη πόλις ἡ κατὰ Σαβάς* § 10 p. 771 C. commemorata, cum § 5 p. 769 C. Berenices mentio facta sit, quae in Sinus Immundi recessu posita erat. Adeamus scriptores ceteros. Ptolemaeus unam tantum Berenicen nominat, idemque Iubam tradidisse cognoscimus ex Plin. VI. 170, loco qui tractetur digno: „Iuba, qui videtur diligentissime persecutus haec, omisit in hoc tractu, nisi exemplarium vitium est, Berenicen

alteram, quae Panchrysos cognominata est, et tertiam, quae Epidires, insignem loco." Plinius igitur tres Berenicas esse putabat, quod si verum esset, vel quatuor Berenicae nobis statuendae essent, quoniam illa altera Strabonis ἡ κατὰ Σαβάς apud Plinium non enumeratur. Quod ne minima quidem cum veri specie ponitur, cumque Ptolemaeus et Iuba unam tantum urbem Berenicen cognitam habuerint, persuasum habeo re vera unam Berenicen fuisse, quae ab aliis vocaretur nominibus aliis. Quo facile fieri potuit, ut scriptor haud ita diligens rerumque imperitus urbes inter se diversas percenseret.

Eodem modo mutilatorum hominum pluribus locis mentio est.

§ 5 p. 769 C. *φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος .... τοὺς δὲ περὶ τὴν Δειρὴν κολοβοὺς εἶναι τὰς βαλάνους.*

§ 9 fin. p. 771 C. *εἶτα ὁ Ἀντιφίλου λιμὴν καὶ οἱ ὑπὲρ τούτων Κρεοφάγοι, κολοβοὶ τὰς βαλάνους.*

§ 10 p. 771 extr. C. *τῷ δ' Ἀντιφίλου λιμένι ἑξῆς ἐστι λιμὴν καλούμενος Κολοβῶν ἄλσος.*

§ 13 p. 772 extr. C. *Μετὰ δὲ Εὐμένους λιμένα μέχρι Δειρῆς . . . καὶ Κρεοφάγοι κατοικοῦσι καὶ Κολοβοὶ μέχρι τῆς μεσογαίας.*

§ 17 p. 776 C. *εἰσὶ* (sc. *Τρωγλοδύται*) *δ' οὐ κολοβοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περιτετμημένοι τινές, καθάπερ Αἰγύπτιοι.*

Quae § 5 p. 769 C. et § 17 p. 776 C. referuntur, ea ex Artemidoro fluxisse supra demonstravi, atque optime conveniunt. Tradiderat igitur Artemidorus in regionibus circa Deiren sitis hoc mutilos homines habitare. Qua cum re conspirat § 13 p. 772 C., minime autem § 9, § 10 p. 771 C., ubi illi mutili homines etiam apud Antiphili portum sedes obtinuisse narrantur. Minime enim

colligere licet vel Artemidorum etiam in aliis locis mutilos nosse vel verbis *τοὺς δὲ περὶ τὴν Δειρὴν Κολοβοὺς εἶναι τὰς βαλάνους* etiam eos complexum esse, qui circa Antiphili portum habitarent. Qua in sententia qui perstaret, magnopere falleretur, quoniam inter Antiphili portum et Eumenis, unde ad Deiren illi tractum tenebant, intervallum interesse ex ipsius Strabonis descriptione patet. Nec pugnant cum hac interpretatione, eos in una tantum regione habitasse, quae persequuntur et Diodorus et Agatharchides:

Diod. III. 32. *τὰ δ' αἰδοῖα πάντες οἱ Τρωγλοδύται παραπλησίως τοῖς Αἰγυπτίοις περιτέμνονται πλὴν τῶν ἀπὸ τοῦ συμπτώματος ὀνομαζομένων κολοβῶν. οὗτοι γὰρ μόνοι τὴν ἐντὸς τῶν στενῶν νεμόμενοι χώραν ἐκ νηπίου ξυροῖς ἀποτέμνονται πᾶν τὸ τοῖς ἄλλοις μέρος περιτομῆς τυγχάνον.*

Agath. ap. Phot. 61: *Τὰ δὲ αἰδοῖα τοῖς μὲν ἄλλοις Τρωγλοδύταις ἐστὶν εἰθισμένον περιτέμνεσθαι, καθάπερ Αἰγυπτίους πάντας· τοὺς δ' ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλουμένους Κολοβοὺς πᾶν τὸ τοῖς λοιποῖς μέρος περιτομῆς τυγχάνον ξυροῖς ἀφαιρεῖν ἐστιν ἔθος νηπίων ὄντων.*

Differunt igitur inter se, quae apud Strabonem de mutilis hominibus dicuntur. Id memoriae genus, secundum quod illi circa Antiphili portum habitant, Ptolemaeus sequi videtur, cum scribat IV. 7 quae iam alia data occasione laudavi, et paulo infra: *κατὰ μέρος δὲ κατέχουσι τὴν μὲν ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ ποταμοῦ τῆς χώρας μετὰ τὸ Βάζιον ἄκρον κολοβοί.*

Quomodo autem potest hoc explicari? Equidem puto has partes, in quibus altera sententia traditur, alio ex fonte fluxisse. Quam suspicionem confirmant, quae de Saba et Sabis urbibus et de Berenice *κατὰ Σαβάς*

supra exposui. Quarum mentione quae difficultates nascuntur, eae hoc modo facillime expediuntur. Nihil enim facilius fieri potuit, quam ut eadem urbs apud alium scriptorem Saba, apud alium Sabae nominaretur.

Sed multa indagari possunt alia indicia, quibus ad eundem finem perducamur. Memorantur § 8 p. 770 C. extr. in litore sinus Arabici post portum Elaiam Stratonis insula, portus Saba, interior regio Tenessis, cum in ea quae sequitur paragrapho post eundem portum Elaiam hi loci occurrant: Demetrii speculae et Cononis arae et in mediterraneis Coracii regio. Plane alia igitur descriptio statuenda est. Quae autem § 9 p. 771 C. traduntur, ad haec arte adnectuntur ultima paragraphi verba, quae iam in dubitationem vocavi. Accedit aliud; nam etiam Creophagi saepius commemorantur, fere semper coniuncti cum mutila gente vel ipsi mutili dicti. Quod fit his locis: § 9 p. 771 C. ultimis verbis, quae iam saepius citavi, initio § 13 p. 772 C. extr. et in media fere § 14 p. 773 C., quorum primus ab reliquis duobus dissentit, qui inter se bene congruunt, cum eae gentes, quae inde ab Eumenis portu ad Deiren et in litore et in interioribus regionibus sedes habent, etiam ad litus extra fretum situm facillime expositae esse possunt, ut in describendis illis terris primo loco enumerarentur. Ita in hac re ne haereamus. Minime autem ad id quadrat, quod iam multo ante Creophagi circa Antiphili portum memorantur. An censeamus re vera plures eiusdem nominis gentes secundum geographorum sententiam fuisse? Quod, cum probabilem veri speciem non habeat, negem, sed multo potius eadem ratione explicem, qua iam ceteras eiusdem modi difficultates dissolvi, constituto alio fonte.

Quibus rebus positis hanc suspicionem puto haud

audaciorem esse, descriptionis geographicae partes § 9 p. 771 C. a verbis *μετὰ δὲ τὴν Ἐλαίαν αἱ Δημητρίου σκοπαί* ad *Κορακίου* aut ad *ἀνθρώπων κατοικία* — utrum rectum sit, paulo infra (p. 66) explicabo —, et finem eiusdem paragraphi *μετὰ δὲ τοὺς Κόνωνος βωμούς*, tum § 10 p. 771 C. extr. *τῷ δ' Ἀντιφίλου λιμένι* ad *τὸ πρὸς τῷ φρέατι καλούμενον* iis, quae ab Agatharchidis libro originem ducunt, alio ex fonte insertas esse.

Nunc autem disceptandum est, utrum Strabo haec adiecerit Artemidoro, an hic Agatharchidi. Atque apertum est eum, qui haec interposuit, parum circumspecte egisse. Sed quaestionem facilius, opinor, ad exitum adducemus examinato alio loco, qui omnibus adhuc interpretibus maximas praebuit difficultates, dico ultima verba § 14 p. 774 C. et prima sequentis: *ἐν δὲ τῇ ἑξῆς παραλίᾳ.* (15) *Εἰσὶ καὶ στῆλαι καὶ βωμοὶ Πυθολάου* sq. usque ad *τὸ δὲ διάστημα οὐ γνώριμον.* Quae verba alii aliter sanare studuerunt. Coraïs coniecit *γνώριμα τὰ ἐν τῇ ἑξῆς παραλίᾳ,* qua tamen audacia non expediuntur difficultates. Primum enim mirum, quod in verbis sequentibus de regione inde ab faucibus ad Noti cornu pertinente iterum agitur, cuius litoris iam uberrimam paulo supra legimus descriptionem. Iam vero non perspicitur, cur arae et statuae Pytholai, Lichae, Pythangeli, Leonis, Charimorti non memorentur arte coniunctae cum promunturiis, speculis, portibus, quibus idem homines nomina dederunt. Accedit, quod verbis ita mutatis etiam post *εἰσὶ* vocula *δὲ* desideratur. Nec dubitavit Coraïs eam inserere. Sed cum unam mutationem altera sequatur, dubitarim an falsum sit id, quod ille proposuit.

Ac restant hae duae offensiones, etiamsi cum Groskurdio scribimus *γνώριμον οὐδὲν ἐν τῇ ἑξῆς παραλίᾳ* vel

cum Kramero *γνώριμον τὴν ἑξῆς παραλίαν*. Fortasse autem haec verba plane alia ratiocinatione servari possunt. Etenim § 15 p. 774 C. in primis verbis fere omnia ea nomina redeunt, quae antea enumerata sunt. § 15: *στῆλαι καὶ βωμοὶ Πυθολάου καὶ Λίχα καὶ Πυθαγγέλου καὶ Λέοντος καὶ Χαριμόρτου*.... § 14 haec inveniuntur: *Πυθολάου ἀκρωτήριον, ἡ Λίχα θήρα τῶν ἐλεφάντων, Λέοντος σκοπή, Πυθαγγέλου λιμήν*. Tantum *Χαριμόρτου βωμοί* non memorantur. Nec tamen praeterea plane idem tradunt, nam § 14 Leonis specula ante Pythangeli portum ponitur, cum § 15 contrario ordine Leonis specula sequatur Pythangeli.

Quibus rebus indicari mihi quidem videtur eandem regionem bis describi atque ex diversis fontibus, primum § 14 p. 773 C. inde ab: *ἀπὸ δὲ τῆς Δειρῆς ἡ ἐφεξῆς ἐστιν ἀρωματοφόρος* usque ad finem, deinde verbis, de quibus nunc sermo est. Utra pars Artemidorea habenda sit, ex ipsius Strabonis verbis elucet, quippe qui dicat postremis § 14 p. 774 C. verbis: *Κάμψαντι δὲ τοῦτο ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν οὐκέτι, φησίν, ἔχομεν λιμένων ἀναγραφάς*. Qua ex ratione dicendi consequitur, ut prior descriptio ad Artemidorum redeat.

Hoc certe loco dubitari non licet, utrum Strabo an Artemidorus descriptionem amplificaverit, immo apparet Strabonem hoc fecisse. Quod si concedimus etiam illa quaestio, quam paulo ante (p. 62) interrupi, ad hunc exitum perducta est, ut omnia haec additamenta Straboni imputemus et ex Artemidorea parte capitis haec secernamus: § 9 p. 771 C. *μετὰ δὲ τὴν Ἐλαίαν* ad *ἡ χώρα Κορακίου* sive *ἀνθρώπων κατοικία* (p. 66), tum *μετὰ δὲ τοὺς Κόνωνος βωμοὺς* ad *ἐκτετμημέναι*. § 10 p. 771 fin. C: *τῷ δ' Ἀντιφίλου λιμένι ἑξῆς* ad *τῷ φρέατι*

καλούμενον. Denique § 15 p. 774 C: ἐν δὲ τῇ ἑξῆς παραλίᾳ ad οὐ γνώριμον.

Itaque in scriptura codicibus servata § 14 extr. § 15 in. nihil fere mutandum est. Optimus enim efficitur sensus, si § 14 post γνώριμον finita ἐν δὲ τῇ ἑξῆς παραλίᾳ cum sequentibus coniunguntur.

Straboni, quae Artemidorus protulit, non sufficiebant, itaque, ut ea suppleret, aliorum scriptorum opera excerpsit, qua in re inscio contigit, ut eandem partem bis enarraret. Quod autem aliena cum Artemidoreis conciliare non studuit, cum § 10 p. 771 extr. C. mentionem faceret Eumenis luci, § 13 p. 772 extr. C. Eumenis portus, cum § 15 p. 774 C. litoris, quod iam antea percurrerat, descriptionem inciperet verbis ἐν δὲ τῇ ἑξῆς παραλίᾳ, quasi plane novi quid afferet, his rebus omnibus ad eandem sententiam perducimur, ad quam tractantes librum tertium pervenimus, eum opus suum non absolvisse.

Reliqua omnia, quae XVI. 4, 5 p. 769 C. ad 4, 17 p. 776 C. feruntur, Artemidori sunt. Ac licet ad huc nonnulla comparare cum eius fragmentis: § 8 p. 771 C. tres illi fluvii, qui in Nilum incidunt, Astaboras, Astapus, Astasobas fere eodem modo quo fr. 90 enumerantur. Mentio est apud utrumque partis illius Astaborae, quae in sinum Arabicum decidit; apud Strabonem haec verba extant: ἐν δὲ τῷ μεταξὺ ἐκδίδωσιν ἀπόσπασμα τοῦ Ἀσταβόρα, apud Artemidorum τούτου (sc. Ἀσταβόρα) καὶ ἀπόσπασμα φέρεται εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν.

Altera autem quaestio relinquitur, utrum omnia Artemidorus ex Agatharchide sumpserit, an ipse quid adiecerit. Ac primum facile cum Muellero (G. Gr. min. I. 166

ann.) faciemus, qui multorum oppidorum, portuum, venationum, quae Strabo enumerat, apud Agatharchidem mentionem fuisse negat: inde enim, quod Diodori et Photi excerpta inter se optime et arctissime concinant, apparere Agatharchidis rationem et indolem talem fuisse, ut praeter maiores orae flexus memorabilia tantum quaedam memoratuque digna afferret: itaque ne Berenices quidem eum mentionem fecisse. Sed cur tandem nominat Aphrodites vel Muris portum et Ptolemaïda? Quae res magnam praebet offensionem a Müllero non sublatam. Non enim credideris Muris portus mentionem nulla alia de causa iniectam esse, nisi quod ad radices Montis Rutilantis situs esset, aut Ptolemaïdis, cum observata umbrarum ratione apud geographos veteres notissima fuisset. Quod si Agatharchidem re vera commovisset, tum hoc diserte, non tam obscure professus esset. Equidem sic sentio eum multo plures urbes enumerasse, quam nunc et apud Diodorum et in Photi excerptis leguntur. Cum vero optime inter se consentiant hi duo scriptores, semperque eadem praebeant, eadem relinquant, ego malim suspicari hos duos non ipsum Agatharchidem inspexisse, sed epitomen. Quae suspicio multis rationibus fulcitur. Compares, quaeso, hosce locos:

Agath. ap. Phot. 30—31: *Ὅτι παρὰ τὴν νότιον τῆς Αἰγύπτου κλίσιν τέσσαρά ἐστι φῦλα τὰ μέγιστα .... τὸ δὲ ἐκ τῆς παραλίας ὁρμώμενον τοὺς ἰχθύας ἀγρεῦον.* (31). *Τοῦτο δὲ τὸ γένος ἔχει μὲν οὔτε πόλεις οὔτε χώρας οὔτ' ἄλλης ἐντέχνου κατασκευῆς ὑπογραφὴν οὐδεμίαν, ἐστὶ δὲ τῶν ὑπολοίπων, ὡς ἔνιοί φασιν, μέγιστον· ἀπὸ γὰρ Αὐταίων, οἳ τὸν ἔσχατον μυχὸν κατοικοῦσιν, ὃν τῇ μεγάλῃ συμβέβηκε συγκλείεσθαι θαλάττῃ, μέχρι τῆς Ἰνδικῆς καὶ Κεδρωσίας, ἔτι δὲ Καρμανίας καὶ Περσῶν καὶ*

τῶν τοῖς εἰρημένοις γένεσιν ὑποκειμένων νήσων, ἰχθυοφάγοι κατοικοῦσιν.

Diod. III. 14 extr. *περὶ δὲ τῶν ἐθνῶν τῶν κατοικούντων τήν τε παράλιον τοῦ Ἀραβίου κόλπου καὶ Τρωγλοδυτικήν, ἔτι δ' Αἰθιοπίαν τὴν πρὸς μεσημβρίαν καὶ νότον πειρασόμεθα διεξιέναι.* (15. 1) *Περὶ πρώτων δὲ τῶν Ἰχθυοφάγων ἐροῦμεν τῶν κατοικούντων τὴν παράλιον τὴν ἀπὸ Καρμανίας καὶ Γεδρωσίας ἕως τῶν ἐσχάτων τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον ἱδρυμένου.*

Quos ad locos Müller adnotat Agatharchidem rem certe non tam absurdum in modum instituisse videri, ut, postquam se de gentibus sub meridie Aegypti sitis acturum esse dixit, abrupte nullaque explicatione data ad describendos eorum Ichthyophagorum mores transiret, qui Asiae oras habitant. Sed quomodo in utriusque exexcerpta et Photi et Diodori hic error irrepserit, hoc Müller minime explicat. Ac si apud unum tantum talis narratio tradita esset, hunc epitomatorem parum diligenter et sat levi pede per hanc Agatharchidis libri partem percurrisse credere liceret: quod ne faciamus, impedit, quod res eadem ratione apud Diodorum legitur.

Quibus rebus consideratis et perpensis, facere iam non possum, quin eam, quam proposui, sententiam tuear, atque Diodorum et Photium ex epitome operis Agatharchidei hausisse puto, in qua fere omnia ad topographiam regionis pertinentia neglecta erant.

Alterum exemplum promam ex § 9 p. 771 C., cuius verba *ἦν δέ τις ἐν βάθει Ἐνδέρα* ad *κατοικία* utrum Artemidori essent an Strabonis, supra (p. 62) in suspenso reliqui. Strabonem l. l. gentem Gymnetas vocat, cum Phot. 52 et Diod. III. 25, 1 venatores, *Κυνηγέτας* vel *Κυνηγούς*, commemoret. Cum autem dubitari non possit,

quin hi tres eiusdem populi mores enarrent, Müller in adnotatione ad Agath. 52 ap. Phot. Agatharchidem haec fere verba scripsisse optime suspicatur: *οἱ καλούμενοι Γυμνῆται κυνηγοί*, ante quae me iudice mentio Enderae facta erat. Quam copiosiorem nominum et regionis enarrationem Photius et Diodorus eodem modo decurtatam proferre non potuerunt, nisi ex eadem epitome hauserunt. Tribuamus igitur Artemidoro verba § 9 p. 771 C: *ἦν δέ τις* ad *κατοικία*.

Praeterea etiam §§ 18 p. 776 C. ad 20 p. 779 C., de quibus infra dicturus sum, sunt nonnulla huius rei exempla. In media enim fere § 18 p. 777 C. apud solum Strabonem insula Dia nominatur, cum omnia, quae praecedunt et quae sequuntur, bene consentiant cum Agath. 89, 90 ap. Phot., et Diodoro III. 43, 44. Eadem est ratio verborum, quae paulo post sequuntur; exempli gratia, quae omnes tres autores narrant, exscribam:

Strabo: *εἶτ' ἔρημοι τρεῖς νῆσοι πλήρεις ἐλαιῶν, οὐ τῶν παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ τῶν ἐντοπίων, ἃς καλοῦμεν Αἰθιοπικάς, ὧν τὸ δάκρυον καὶ ἰατρικῆς δυνάμεώς ἐστιν. ἐφεξῆς δ' ἐστὶν αἰγιαλὸς λιθώδης...*

Diod. III. 44, 3: *Ἑξῆς δὲ τῇ προειρημένῃ παραλίᾳ νῆσοι τρεῖς ἐπίκεινται, λιμένας ποιοῦσαι πλείους. Καὶ τούτων τὴν μὲν πρώτην ἱστοροῦσιν ὑπάρχειν ἱερὰν Ἴσιδος, ἔρημον οὖσαν.... πάσας δ' ἐλαίαις καταπεφυτεῦσθαι διαφόροις τῶν παρ' ἡμῖν.* (4). *Μετὰ δὲ τὰς νήσους ταύτας αἰγιαλὸς παρήκει κρημνώδης.*

Agath. 91 ap. Phot. *Τὴν δ' εἰρημένην χώραν νῆσοι τρεῖς ἐκδέχονται, λιμένας ποιοῦσαι πλείους.... ἐρήμους δὲ πάσας καὶ συσκίους ἐλαίαις, οὐ ταῖς παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ ταῖς ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις φυομέναις.* (92). *Μετὰ δὲ τὰς νήσους τὰς ἐκκειμένας ἐστὶν ἰδεῖν αἰγιαλὸν λιθώδη....*

Apud Agatharchidem et apud Diodorum Strabonis verba ab ἃς καλοῦμεν ad δυνάμεώς ἐστιν, desiderantur.

Postremo apponam § 19 p. 778 C. partem διὰ δὲ τὴν ἀφθονίαν ad μέχρι Συρίας καὶ Μεσοποταμίας. Simile quidquam nec Diod. III. 47 nec Agath. 98, 99 ap. Phot. praebet.

Qui loci omnes, quos modo collegi, etiam sic possunt explicari, ut Artemidorum exornasse Agatharchidis descriptionem statuatur, cum Diodorus et Photius, qui eundem sequantur, optime conspirent. Sed manet locus summi momenti, qui de Ichthyophagis compositus est. Qui cum aliter intellegi nequeat atque ego feci, etiam reliqui eadem ratione explicandi sunt. Ergo manifestum est ea, quae solus Artemidorus praebet, Agatharchidi non prorsus abiudicanda esse.

Haec habui, de hac sinus Arabici ora quae dicerem; transeo nunc ad eam, quae in sequentibus a Strabone enarratur. Quam quaestionem eadem ratione instituam, qua iam priorem de Troglodytica ora perfeci, ut, quid Strabo una cum Diodoro vel Photio tradat, id primum statuam.

Tota § 18 p. 776—778 C. eodem modo apud Diod. III. 42—45; § 19 p. 778 C. ab initio usque ad τὸ δῆγμα ἔχοντες ἀνήκεστον legitur apud Diod. III. 46—47 usque ad verba (§ 2 extr.) τὸν χρῶτα; quae sequntur ad Μεσοποταμίας neque apud Diodorum neque apud Agatharchidem, ut iam monui, inveniuntur. In reliqua autem parte paragraphi idem profertur, quod apud Diod. III. 47, 2: Ἴδιον δέ τι ad ἀλλότριον πλοῦτον (§ 8 extr.), his tantum verbis exceptis: ἐν χλιδῇ δ' ἐστὶ γυναικείᾳ ad εὐωδέστατον θυμίαμα. Haec autem apud Photium traduntur.

Quae § 20 p. 779 C. de nomine rubri maris expo-

nuntur, apud Diodorum non extant, multo autem fusius et uberius sola Ctesiae coniectura neglecta hac de re Photius § 2—6 agit.

Sequitur igitur, ut omnia ab § 18 p. 776 C. ad § 20 p. 779 C. ad verba *τοὺς δὲ Περσέως υἱὸν ἀποφαίνεσθαι τὸν Ἐρύθραν, ἡγήσασθαί τε τῶν τόπων* Artemidori sint. Ex ipsius Strabonis verbis hoc elucescit, qui dicat § 18 in. p. 776 C: *Ταῦτ᾽ εἰπὼν.... ἐπάνεισιν ἐπὶ τοὺς Ἄραβας* et paulo post: *φησὶ δὲ ἐνδοτέρω κεῖσθαι τοῦτο....* et § 19 extr. p. 778 C: *ταῦτα μὲν περὶ τούτων εἴρηκε,.... τὰ δὲ καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ἱστορικῶν παρατίθησιν,* unde dependent, quae sequuntur usque ad *ἡγήσασθαί τε τῶν τόπων*. Itaque Stiehle prima tantum verba § 18 p. 776 C. et § 19 p. 778 C. ab *γίνεται δ᾽ ἐν τοῖς Σαβαίοις καὶ τὸ λάριμνον* ad finem paragraphi et § 20 p. 779 C. ad *ἡγήσασθαί τε τῶν τόπων* eiusdem originis non recte duxit. Fortasse ei non ausus est plura tribuere, cum § 18 p. 776 C. post *ἐνταῦθα δὲ καὶ τὴν εὐκαρπίαν τῶν φοινίκων εἶναι θαυμαστὴν* obliqua, quae dicitur, oratio mutetur in rectam. Inde minime effici, ut alius fons perhibeatur, ex §§ 5 p. 769 C. et 6 p. 770 C. intellegitur, ubi, quamquam res eodem modo se habet, omnia ad Artemidorum redeunt.

Unum tantum interest discrimen in hac parte inter Strabonem et Diodorum Agatharchidemque: ille urbem Sabaeorum Mariabam, hi Sabas nominant. Cum vero reliqua omnia bene inter se consentiant, nolim haerere in minutiis, quamquam, quomodo haec differentia explicanda sit, hac de re certi quidquam proferre nequeo.

Utrum autem ultima § 20 p. 779 C. verba: *λέγεται δ᾽ ὑπό τινων* ad *μετάλλοις ἐγγίνεται* ex Artemidoro deprompta sint, an a Strabone ipso addita, hanc quaestio-

nem diiudicari non posse mihi persuasum est. Licet enim in utramque partem disputare. Nam ultimis verbis § 19 p. 778 extr. C. *τὰ δὲ καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ἱστορικῶν παρατίθησιν* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*) ita intellectis, ut illos *ἄλλους ἱστορικοὺς* ea quoque, quae a verbo *λέγεται* incipiunt, tradidisse sumamus, Artemidorum auctorem statuere debemus. Quam contra rem non facere, quod post *ἡγήσασθαί τε τῶν τόπων* oratio obliqua finitur, postquam paulo supra hanc rem exposui, luce clarius est. Contra autem neque apud Agatharchidem neque apud Diodorum ullum vestigium invenitur rerum, quae in hac paragraphi parte narrantur; tum longe alia de re his verbis agitur atque in antecedentibus. Itaque ad certum iudicium venire non possumus.

Restat, ut paucis eam quaestionem absolvam, num eorum quoque, quae sequuntur, nonnulla ex Artemidori libro fluxerint.

§ 21 p. 779 C. certo alium auctorem habet, quia partim ea repetit, quae iam antea de Arabia explicata sunt. Equidem malim omnia Athenodoro reddere, quem sibi aequalem et auctorem Strabo nominat.

Quae describuntur §§ 22 p. 780 C. ad 24 p. 782 C. ab ipso Strabone addita sunt, quippe qui Aelium Gallum, cuius expeditionem in Arabiam factam narrat, optime novisset, cum eum in alia expeditione comitatus esset. Pariter in omnibus, quae ad finem libri sequuntur, nihil invenitur, unde concludi possit Artemidorum Strabonis fontem fuisse. Itaque, ut brevi comprehendam, quod in iis, quae antecedunt, de Strabonis fontibus exposui, ab § 5 p. 769 C. ad § 20 p. 779 C. Strabo fere solum Artemidorum adhibuit.

Quamquam hoc est maximum huius scriptoris frag-

mentum, quod adhuc notum est, tamen nihil proficimus, si ex eo, quid Artemidori proprium sit, statuere volumus. Liquido enim patet ex iis, quae antecedunt, eum haec fere de verbo ab Agatharchide descripsisse, ita ut, si nonnulla invenerimus, quae aliena sint ab vulgari ratione dicendi, ea Agatharchidi, non Artemidoro tribuere debeamus. Itaque cum consentaneum sit ad expediendam nostram rem nihil bonae frugis ex tali quaestione percipi posse, eam nunc quidem omittam.

Liber XVII.

Nunc agam de libro decimo septimo, ut, quid in eum Strabo receperit ex illo geographo Ephesio, statuam. Atque huius tantum fragmenta eruere studebo, cum Vogelii quaestio, ut supra dixi (p. 1) utque nunc demonstrabo, non talis sit, unde exorsus ceteros auctores, ubi adhibiti sint, indagare possis. Huius autem quaestionis ordinem ita disponam, ut in priore parte periplum et Aegypti et Libyae coniunctum tractem, in altera deinde Strabonis narrationem secutus, quae praeterea in quaque paragrapho mentione digna sint, proferam. Itaque primum quaeram, quibus paragraphis periplus contineatur.

Atque Aegypti litus perstringitur c. 1, 6 in. p. 791 C. *ἔστι τοίνυν ἡ ἀπὸ Πηλουσίου* ad *ἀμφίστομον*[1]), § 13

1) Dixerit quis Strabonem, qui ipse illas regiones viserat, has mensuras edidisse. Sed noli putare eum tum, cum in Aegypto versatus est, diligenter singula intervalla notasse. Eo enim tempore, quo itinera sua fecit, libri geographicae indolis scribendi consilium nondum cepit: nulla igitur causa erat, cur tales res, quas scire neminis fere nisi geographi interest, persequeretur. Ac licet animad-

extr. p. 798 C: ἔτι δὲ μᾶλλον κατιδεῖν ad finem § 14 p. 799 C; § 17 p. 801 in. C. ad ἀποθανόντος αὐτόθι, cum Libyae periplus exhibeatur locis hisce: XVII. 3, 6 p. 827 C., § 9 in. p. 829 C: Μετὰ δὲ τὴν τῶν Μαυρουσίων γῆν ad ἔστι δὲ πόλις Σίγα ἐν χιλίοις σταδίοις ἀπὸ τῶν λεχθέντων ὅρων et μετὰ δὲ τὴν Σίγαν ad finem. § 12 p. 831 C: Ἦν δ' ἐν τῇ παραλίᾳ ταύτῃ ad ὃν Σάλδαν καλοῦσιν. § 13 p. 832 in C: Μετὰ δ' οὖν Τρητόν ad χώρα et ἥ τε δὴ Κίρτα ad ἄμφω βασίλεια et ῥεῖ δὲ τῆς Ἰτύκης πλησίον ad finem. §§ 14[1]), 16, 17[2]), 18 p. 832 C. ad 835 C. totae. § 20 p. 835—837 C. exceptis (836 C. fin.): ἐκ ταύτης τῆς πόλεως τριακοσταῖος ad ὥδευσε δὲ πεζὸς ἐν

---

vertere eum secundum id, quod ipse compererat, intervalla rarissime reddere. Quod si eius interfuisset, in descriptione persequi debuit, quantum urbes ad Nilum sitae, quas permigraverat, inter se distarent. Sed tres tantum mensurae in toto itinere inveniuntur. § 16 p. 800 C. ab Alexandria ad Schediam quatuor schoeni, § 31 p. 807 C. a Memphi ad Deltam 3 schoeni, § 50 p. 818 C. a Philis ad Syenen 100 st. Patet igitur Strabonem proficiscentem fere neglexisse singula spatia accuratius notare. Inde consequitur, ut suspicio haud ita probabilis sit, Strabonem nostrae paragraphi mensuras: ab ostio Pelusiaco ad Canobicum 1300 st., inde ad Pharum insulam 150 st. e schedis suis itinerariis excerpsisse; multo vero propius ad verum nos accedere puto sumentes eum ex auctore quodam geographico illam recepisse.

1) Unde Strabo haec hauserit, Vogel in medio relinquit. Sed ego crediderim, quamquam certi quidquam demonstrare nequeo, haec quoque ex eodem fonte hausta esse, unde ea, quae antecedunt, cum minime peripli tenor interrumpatur. Quod paulo uberius de hac urbe agitur, quam de ceteris, minime mirum; nam clarissima huius regionis urbs erat Carthago. Itaque non puto esse causam, cur alium fontem statuamus,

2) cfr. autem p. 78.

ἄμμῳ βαθείᾳ καὶ καύμασιν. § 21 p. 837 C: *κεῖται δὲ τὸ τῶν Κυρηναίων ἐπίνειον* ad *ὁ δὲ πλοῦς Λευκονότῳ.* § 22 med. p. 838 C: *μετὰ δὲ τὴν Ἀπολλωνίαν* ad finem.

Iam diligentius has paragraphos pervestigemus, ut res colligamus, quae ad peripli auctorem cognoscendum aliquod possint habere momentum. Ac primum omnes, qui hunc circuitum legent, mirabuntur, quod in utraque regione ab occasu incipit, cum descriptio plane contrario cursu huc usque progressa sit. Eandem offensionem praebet, quod Strabo c. 1, 13 extr. p. 798 C. dicit, quam bene sita sit Alexandria, optime ab eo intellegi, qui totam Aegyptum, praecipue autem oram, cuius caput sit Catabathmos, permigret. Quomodo dicere potest, cum ab ortu veniat, Catabathmum initium esse regni Aegyptiaci? Immo ultima urbs nominanda erat. Quibus nos rebus eo adducimur, ut Straboni fontem quendam alio ordine oram enarrantem praesto fuisse colligamus.

Deinde huius auctoris proprium esse videmus omnia accurate enumerare, quae ad rem navalem spectant nautisque memorabilia sunt; perlustres dictiones istius modi: c. 1, 6 p. 791 C: (*Φάρος*) *λιμένα πρὸς αὐτὴν ποιοῦν ἀμφίστομον*, § 14 p. 799 C: *πόλις δ' ἐστὶ καὶ λιμὴν μέγας.... Τυνδάρειοι σκόπελοι, νησίδια τέτταρα ἔχοντα λιμένα.... νῆσος Αἰνησίππεια ἔχουσα λιμένα.... Φοινικοῦς λιμήν.... Σιδώνια λιμένα ἔχουσα.... ὁ Δέρρις λιμήν.... εἶτ' ἄλλος λιμὴν Λεύκασπις.* c. 3, 12 p. 831 C: (*Ἰώλ*) *ἔχουσα καὶ λιμένα καὶ πρὸ τοῦ λιμένος νησίον.... μέγας ἐστὶ λιμήν, ὃν Σάλδαν καλοῦσιν.* § 18 p. 835 C: *εἰσὶ δὲ καὶ ἀλίμενοί τινες ἐνταῦθα τόποι, τῆς ἄλλης παραλίας ἐχούσης λιμένας.* § 20 p. 835 C: *ἡ χαλεπότης δὲ καὶ ταύτης τῆς Σύρτεως* ad p. 836 C: *καὶ μάλιστα τῶν παρὰ γῆν περίπλων,.... ἔχουσα καὶ νησία καὶ ὕφορμον*

πρὸ τοῦ στόματος,.... τόπος ἐστὶν Ἀσπὶς καὶ λιμὴν κάλλιστος .... ἔχει δὲ τὸ μεταξὺ διάστημα καὶ λιμένας οὐ πολλούς, ὑδρεῖά τε σπάνια. § 22 extr. p. 838 C: *παραλία..... οὐ πάνυ εὐπαράπλους· καὶ γὰρ λιμένες ὀλίγοι καὶ ὕφορμοι,... Ζεφύριον πρόσορμον ἔχον, Χερρόνησος λιμένα ἔχουσα· εἶτα μέγας λιμήν,.... μετὰ δὲ τὸν μέγαν λιμένα ἄλλος λιμὴν Πλῦνος.*

Quarum rerum ratione habita quaestio de illius circuitus scriptore disceptanda est. Ac primum de Artemidoro cogitandum est, quem sciamus hoc litus ab Herculis columnis incipientem enarrasse, cuiusque supra abunde demonstraverim (p. 6) descriptionem eiusdem indolis fuisse, atque hunc periplum.

Potest autem certissime evinci hanc nostram suspicionem rectam ac veram esse. Primum enim iam supra (p. 17, 18) demonstravi priora c. 3, 6 p. 827 C. verba *Εἰς δὲ τὴν ἐντὸς θάλατταν* ad *μεγαλόδενδρον* Artemidori [1]) esse. Deinde accuratius c. 1, 6 mensuras perscrutemur. Ac primum dicam, quid de Vogelii sententia existimem, qui, cum Eratosthenem eandem mensuram tradidisse ex huius capitis § 2 C. p. 786 constet, hunc fuisse auctorem contendit. Cui assentiri nequeo. Ipsius enim Strabonis verba § 2 p. 786 C: *Ἐρατοσθένης μὲν οὖν οὕτως* demonstrant Eratosthenem in hoc capite nusquam nisi in hac paragrapho adhibitum esse. Et re vera ea, quae Eratosthenes de Aegypto disseruit, in reliqua tota descriptione Strabonis neglecta sunt, cui rei minime adversatur, quod § 19 p. 802 C. Eratosthenes laudatur. Haec ex altera

1) Vogelium suo iure totam paragraphum Artemidoro tribuere, ita ut apud eum Timosthenis verba fuisse statuendum sit, ex iis, quae supra (p. 31, 32) de Timosthene et Strabone disserui, apparet.

parte Eratosthenici operis deprompta esse Berger [1]) demonstrat. Si autem singula, quae et Eratosthenes et Artemidorus de longitudine Nili fluminis exhibent, hic in fr. 90, ille apud Strab. XVII. 1, 2 p. 786 C., comparaverimus, ea optime inter se convenire videbimus. Itaque pro certo habeo Artemidorum quoque sua ab Eratosthene mutuatum, illam orae partem, quae sita est inter duo celeberrima Nili ostia, cum 1300 st. longam sibi finxisset, eandem mensuram praebuisse, quam nunc Strabo c. 1, 6 edit.

Tum § 14 p. 799 C. statim circuitu peracto memoratur lacum Mareiam plus 150 st. latum esse, longum autem minus 300 st., esse in eo octo insulas. Quocum comparandum est fr. 90. Artemidori, ubi de longitudine lacus deque numero insularum idem exhibetur, nam pro 270 st. facillime dici potest „minus 300 st.“ Nihil refert, quod Strabo lacum Mareiam vocitat, cum Artemidorus — secundum coniecturam certissimam — nomen Mareotim adhibuerit. Profitetur enim Strabo ipse inter haec duo nomina nihil discriminis esse, XVII. 1, 7 p. 793 in. C: τῆς λίμνης τῆς Μαρείας, ἣ καὶ Μαρεῶτις λέγεται. In eo tantum haerere possumus, quod discordant inter se paulum, quae uterque de latitudine tradit, cum Strabo, qui Artemidoro usus est, lacum plus 150 st., ille autem l. l. 150 st. latum esse dicat. Quae cum sola offensio sit, quam noster locus exhibet, eam censeo nullam vim habere ad labefactandam illam sententiam, quam tenere studemus. Certo neglegentia quadam haec differentia exorta est, utrius autem vitio, utrum Strabonis an

---

1) Berger ‚Die geographischen Fragmente des Eratosthenes' p. 49.

librarii, nihil interest. Qui tamen hac explicatione non contentus differentia illa nisus aliam opinionem proferre velit, is conferat, quaeso, mensuras plane diversas, quas Plin. V. 63 exhibet, latitudinem patere 30 m. p. = 240 st., circuitum 250 m. p. = 2000 st., vel secundum alios auctores longitudinem latitudinemque 1200 st.

Iam vero de intervallo, quod interest inter Corsuram et Lilybaeum c. 3, 16 p. 834 C. idem praebetur, quod VI. 2, 1 ext. p. 267 C: *ἔστι δὲ καὶ ἀπὸ Λιλυβαίου τοὐλάχιστον δίαρμα ἐπὶ Λιβύην χίλιοι καὶ πεντακόσιοι περὶ Καρχηδόνα.* Verisimillimum igitur est utroque loco eundem scriptorem adhibitum esse. Sed cum illo loco paulo ante Artemidorus memoretur, non audacius videmur sumere Strabonem hoc quoque ex eo deprompsisse. Quae cum ita sint, etiam c. 3, 16 p. 834 C. ab eodem fonte originem ducit. Praeterea Vogel optime monuit in hac paragrapho complures urbes enarrari, quas iam ante sua tempora dirutas esse Strabo ipse c. 3, 12 p. 831 C. narravit. Videmus igitur antiquiorem auctorem adhibitum esse.

Praeterea c. 3, 16 extr. p. 834 C. occurrit ratio dicendi, quae simillima est Artemidori, quantum quidem eam ex illis paucis locis, ubi ipsa verba eius laudantur, cognoscere liceat. Dico descriptionem insulae Cercinnae: *παράκειται δὲ τῇ ἀρχῇ τῆς Σύρτεως νῆσος παραμήκης, ἡ Κέρκιννα, εὐμεγέθης, ἔχουσα ὁμώνυμον πόλιν* . . . Quo cum loco comparanda sunt haec duo fragmenta, fr. 55: *τῆς δὲ Κεφαληνίας ἀπὸ Πανόρμου λιμένος πρὸς ἀνατολὴν δώδεκα στάδια, νῆσός ἐστι Ἰθάκη, σταδίων ὀγδοήκοντα πέντε, στενὴ καὶ μετέωρος, λιμένα ἔχουσα καλούμενον Φόρκυνα.* fr. 113: *παραλλάξαντι δὲ ταύτην αἰγιαλὸς ἄλλος ἐκδέχεται σταδίων τριῶν μηνοειδὴς*

καὶ ὕφορμος, καλούμενος Ψευδοκοράσιον. Cercinnae descriptionem eandem, quam hos duos locos, speciem praebere, quis est, qui neget? Ubique eiusdem abruptae orationis usus est. Sed vel alio denique modo nostra opinio commendatur. Adamat enim Artemidorus id, quod c. 1, 17 p. 801 C. factum est: *(Κάνωβος) ἐπώνυμος Κανώβου τοῦ Μενελάου κυβερνήτου,* de personis, praesertim de iis, quae in fabulis sunt, nomina urbium vel regionum derivare, cfr. fr. 87, Epit. 9, 13.

Postremo rem commemorem, quae est similis indolis atque ea, quam modo attuli. Legimus enim c. 1, 14 p. 799 C: *εἶθ' ὁ Δέρρις λιμὴν, καλούμενος οὕτως διὰ τὴν πλησίον πέτραν μέλαιναν δέρρει ἐοικυῖαν* et c. 3, 16 p. 834 C: *καὶ ἐπ' αὐτῷ λόφος Ἀσπὶς καλούμενος ἀπὸ τῆς ὁμοιότητος.* Atque optime accidit, ut in iis fragmentis, quae Artemidori nomine nota sunt, nonnulla talis etymologiae exempla extent, fr. 3, 32, 36, 45.

Quae omnia abunde testantur Artemidorum huius peripli auctorem esse[1]). Cum igitur ad eundem finem pervenerim ac Vogel, meum est demonstrare, cur eius argumentatio mihi non satisfaciat. Qua in re proficiscar ab illo argumento, quo potissimum nititur. Dicit enim inde, quod alius nullus circuituum scriptor, ex quo quid Strabo petiverit, notus sit, effici, ut Artemidorus in hoc

---

1) Itaque per se intellegitur c. 3, 12 p. 831 C. verba *ἣν ἐπικτίσας* ad *μετωνόμασε Καισάρειαν* a Strabone interposita esse. Neque inusitatum hoc esse in periplo Hispaniae percurrendo vidimus.

Alteram rem hoc loco statim addam. Neque enim recte Vogel sumere mihi videtur ea, quae c. 3, 20 p. 836 C. de Automalae parallelo dicuntur, Eratostheni tribuenda esse, quoniam Artemidorum quoque de meridianis et parallelis verba fecisse scimus, cfr. Str. XVI. 4, 5 p. 769 C.

quoque libro fons sit. Hoc nullius momenti esse, spero omnes concessuros esse; Vogel ipse ab hac regula discedit, cum c. 1, 6 p. 791 C. mensuram, quae est pars peripli, non Artemidoro addicat. Iam vero futile est, quod, ut Artemidorum c. 3, 17 p. 834 C. auctorem probet, Strab. II. 5, 20 p. 123 C. et Agathemerum 3, 8 laudat, ubi idem Syrtis circuitus traditur. Minime enim licet pro re iudicata habere apud Strabonem l. l. Artemidorum fontem esse; immo vero multo verisimilius est Eratosthenem fuisse, qui de maioris Syrtis circuitu a Strabone laudetur. Pariterque Agathemerum 3, 8 — 5, 21, quem locum Vogel item laudat, de magnitudine Syrtis minoris omnino nil extat — sua non Artemidoro debere, sed Eratostheni, explicare conatus sum oblata alia scribendi opportunitate[1]). Quae si recte exposita sunt, Vogelii argumentatio corruit.

Hoc autem Vogel sagaciter admonet, verba c. 3, 17 p. 834 C: *τὴν δὲ Μήνιγγα νομίζουσιν εἶναι* ad *ἔχον ἥδιστον καρπόν* non ex Artemidoro, sed ex Polybio petita esse, quod in illis lotos inter arbores numeretur, cum c. 3, 8 p. 829 C. ubi Artemidorus laudatur, hunc in modum de hac planta dicatur: *σιτοῖντο δὲ λωτόν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν.*

Sed pergam nunc proferre, quae contra Vogelium proferenda mihi videntur. Atque id reprehendam, quod dicit eo, quod Strabo c. 3, 20 p. 837 C. cum Plinio V. 32 bene consentit, Artemidorum auctorem esse demonstrari, etiamsi numeri non plane iidem sint. Pervestigemus

---

1) Quaestiones Artemidoreae. In commentationibus philologis, quibus Ottoni Ribbeckio congratulantur discipuli Lipsienses, p. 477 sq.

igitur, quae apud Strabonem quaeque apud Plinium traduntur. Apud Plinium haec:

a Berenice ad Arsinoën $\overline{\text{XLIIII}}$ p. = 344 st.
ab Arsinoë ad Ptolemaïda $\overline{\text{XXII}}$ p. = 176 st.
a Ptolemaïde ad Phycuntem $\overline{\text{XL}}$ p. = 320 st.
a Phycunte ad Apolloniam $\overline{\text{XXIV}}$ p. = 192 st.

Ergo Berenice ab Apollonia $\overline{\text{CLXXXXII}}$ p. = 1032 st. distat.

Apud Strabonem eandem distantiam 1000 st. longam esse disseritur, atque nihil obstaret, quominus hunc numerum idem significare quod Plinii putaremus, nisi ea mensura, quam solam de singulis intervallis Strabo praebet, a Phycunte ad Apolloniam ad 170 st. esse, a Pliniana plane discreparet, cum Plinius 192 st. prodat. Quae differentia tolli non potest. Atque extant aliae. Secundum Plinium Cyrene $\overline{\text{XI}}$ p. distat a mari, secundum Strabonem ab Apollonia, huius urbis emporio, 80 st. Iam vero Plinius intervallum inter Phycuntem et Catabathmon $\overline{\text{CCCIV}}$ p. (a Phycunte ad Cherronesum $\overline{\text{LXXXVIII}}$ p., inde ad Catabathmon $\overline{\text{CCXVI}}$ p.) longum esse tradit i. e. 2432 st., Strabo autem 2370 st. (a Cyrene ad Catabathmon 2200 st., a Phycunte ad Apolloniam 170 st.).

Consentiunt igitur inter se duplices tantum nominum formae: Teuchira — Arsinoë, Barce — Ptolemaïs, (Berenice — Hesperides autem apud solum Plinium leguntur) et mensura, quam uterque de spatio inter Phycuntem et Taenarum patente edit. Reliqua omnia plus minusve discedunt.

Idem cadit in descriptionem regionis Cyrenaïcae. Hoc primum concedendum est miro quodam modo tripartitam divisionem apud utrumque eandem esse. Prima

regio a Strabone c. 3, 23 p. 838 extr. nominatur *δενδροφόρος*, a Plinio V. 33 „arboribus fertilis"; altera *σπείρεται μόνον*, „frugibus tantum fertilis", tertia *ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα*, „lasari modo" sc. fertilis.

Sed obviae sunt tot res plane sibi contrariae, ut credi vix possit eundem scriptorem adhibitum esse. Numeri omnino non iidem sunt, secundum Strabonem prima et altera regio 100 st. lata est, secundum Plinium $\overline{XV}$ p. = 120 st., tertia secundum illum 1000 st. longa, 300 st. lata, secundum hunc $\overline{CCL}$ p. = 2000 st. et $\overline{XXX}$ p. = 240 st. Quo accedit gravissimum, quod Plinius haec omnia de agro Cyrenaico tradit, Strabo autem de interiore quadam regione, quam discernit a Cyrenaica: c. 3, 22 p. 837 C: *Ὁμορεῖ δὲ τῇ Κυρηναίᾳ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα καὶ τὸν ὀπὸν τὸν Κυρυναῖον, ὃν ἐκφέρει τὸ σίλφιον ὀπισθέν.* et c. 3, 23 in. p. 838 C: *Τὴν δ' ὑπερκειμένην ἐν βάθει χώραν τῆς Σύρτεως καὶ τῆς Κυρηναίας κατέχουσιν οἱ Λίβυες·* et paulo post: *ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος ἐμφερὴς τῷ Ἄμμωνι, φοινικοτρόφος τε καὶ εὔυδρος· ὑπέρκειται δὲ τῆς Κυρηναίας πρὸς μεσημβρίαν· μέχρι μὲν σταδίων ἑκατὸν καὶ δενδροφόρος ἐστὶν ἡ γῆ. μέχρι δ' ἄλλων ἑκατὸν σπείρεται μόνον, οὐκ ὀρυζοτροφεῖ δ' ἡ γῆ διὰ τὸν αὐχμόν. ὑπὲρ δὲ τούτων ἡ τὸ σίλφιον φέρουσά ἐστιν.*

Iam vero explicari vix posset, si re vera Strabo et Plinius eodem auctore usi essent, cur in eadem regione non easdem gentes enumerarent; sed Plinius Marmaridas, Acrauceles, Nasamones vel Mesammones, Strabo Nasamones, Psyllos, Gaetulos, Garamantes, Marmarides.

Quarum rerum ratione habita facere non possum, quin ab Vogelii sententia discedam. Qui autem auctores fuerint, eruere non possum; neque enim apud Strabonem neque apud Plinium quidquam est in hac parte descrip-

tionis, unde fons cognosci possit. Statuendum igitur nobis est rem non satis liquere.

Postremo loco moneam ea, quae Vogel de toto circuitu in universum exponit, non recte disputata esse. Sed explicabo, qua de re agatur. Peropportune accidit, quod apud Plinium V. 40 traditur Artemidorum totius Africae longitudinem a Tingi ad Canobum |XXXV| LIX p. = 28472 st. collegisse. Ex Agathemero autem, qui § 10 29252 st. exhibet, quod Vogel praeterea auxilium petit, displicet, cum demonstrasse mihi videar hanc Agathemeri libelli partem ex Eratosthene fluxisse. Id igitur solum nunc examinemus, num summa omnium numerorum, quos Strabo Artemidoro auctore de ora Africae collegit, et Pliniana inter se conveniant. Quod ut facilius perspici possit, singulas stationes, quantum distent, enarrabo:

a Cotibus ad Metagonium	5000 st.	XVII. 3, 6	p. 827 C.
a Metagonio ad Tretum	6000 st.	3, 9	p. 829 C.
a Treto ad Carthaginem	2500 st.	3, 13	p. 832 C.
a Carthagine ad Cephalas	5000 st.	3, 18	p. 835 C.
	(μικρῷ πλείονες τῶν 5000)		
a Cephalis ad Boreion	3930 st.	3, 20	p. 835 extr. C.
a Berenice ad Apolloniam	1000 st.	3, 20	p. 837 in. C.
a Cyrene ad Catabathmum	2200 st.	3, 22	p. 838 C.
a Catabathmo ad Paraetonium	900 st.	1, 14	p. 799 C.
a Paraetonio ad Alexandriam	1300 st.	1, 14	p. 799 C.
ab Alexandria ad Canobum	120 st.	1, 17	p. 801 in. C.
a Cotibus ad Canobum	27950 st.		

Vogel p. 410 in errorem incidit, cum hunc in modum singulos numeros consummaret: a Cephalis ad Automala 3930 st., ab Automalis ad Berenicen 1500 st. Neque enim recte intellexit, secundum Strabonem Syrtis maioris fines Cephalas et Boreion promunturium esse, cfr. XVII. 3, 18 fin. p. 835 C: *ἄκρα ὑψηλὴ καὶ ὑλώδης, ἀρχὴ τῆς μεγάλης Σύρτεως, καλοῦσι δὲ Κεφαλάς* et finem versus XVII. 3, 20

p. 836 C: ἐνδοτέρω δὲ τῆς Βερενίκης ἐστὶ τὸ μικρὸν ἀκρωτήριον λεγόμενον Βόρειον, ὃ ποιεῖ τὸ στόμα τῆς Σύρτεως πρὸς τὰς Κεφαλάς. Automala autem, ad quam urbem Vogel circuitum Syrtis esse sumit, in intimo eius sinu posita erant; cfr. c. 3, 20 med. p. 836 C: καὶ μετὰ τούτους Αὐτόμαλα, φρούριον φυλακὴν ἔχον, ἱδρυμένον κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ κόλπου παντός. Itaque summa, quam Vogel collegit, minuenda est 1500 st., quo facto restant 27950 st. Quod primo aspectu cum Plinii 28472 st. vix conciliatur. Sed hoc unum respiciendum est, singulas mensuras non uno tenore totum litus Africae continere, sed periplum saepius interrumpi. Excipit enim mensuram Syrtis maioris, quam ad Boreion promunturium pertinere vidimus, alia, quae currit a Berenice, urbe paulo plus ad septentrionem provecta. Tum mensurae, quae sunt a Cyrene ad Catabathmum et a Berenice ad Apolloniam, Cyrenes emporium, non arte inter se cohaerent. Denique hoc notandum Carthaginem a Cephalis plus 5000 st. abesse. Videmus igitur huic summae, quam accepimus consummando, aliquid addendum esse, ita ut cum numero apud Plinium tradito melius consentiat. Non opus est nos ad vitia scribarum statuenda confugere vel ad reliquas explicationes, quas Vogel l. l. profert, ut, quae Plinius et Strabo de hoc spatio tradiderunt, inter se concilientur.

Quibus rebus expositis cum omnia protulerim, quae de circuitu orae Aegypti et Libyae dicenda sunt, inquiram nunc in partes libri septimi decimi cum periplo non cohaerentes. Eos autem locos omittam, ubi luce clarius sit nihil ex Artemidoro, de quo solo agitur, fluere potuisse.

Unde haustae sint §§ 1 p. 785 C. et 2 p. 786 C.

primo aspectu intellegitur: illa a Strabone ipso composita, haec Eratosthenis est. Miro igitur errore Evers l. l. p. 29 ducitur, qui propterea, quod verba *Σεμβρῖται, ὡς ἂν ἐπήλυδες* et XVI. 4, 8 p. 770 C. et c. 1 § 2 p. 786 C. inveniuntur, quodque priore loco Artemidorus fons est, etiam XVII. 1, 2 p. 786 C. eum adhibitum esse concludit. Quod non factum esse Strabonis verba demonstrant § 1 fin. p. 785 C: *κἀνταῦθα δ' Ἐρατοσθένους ἀποφάσεις προεκθετέον* et § 2 fin. p. 786 C: *Ἐρατοσθένης μὲν οὖν οὕτως.*

Quaestio autem subdifficilis est de origine § 3 p. 786 —788 C. Primum monendum Strabonem in Aegypto fuisse, itaque facile permulta de suo inserere potuisse. Neque in hac paragraphó certum quodquam vestigium inveniri potest, quod Artemidori librum in conficienda descriptione multam ei materiem praebuisse testetur. Unum fortasse excipiam auctore Vogelio, qui, cum XVII. 1, 24 p. 804 extr. C. secundum Artemidorum decem Deltae nomi memorentur, concludit, c. 1 § 3 p. 786 C. ubi triginta sex nomorum mentio est, quorum decem Thebaïdis, totidem Deltae, sedecim autem regionis intermediae sunt, hoc et ipsum ex illo scriptore sumptum esse. Et certe concedendum est, rem aliquam probabilitatis speciem praebere, cum antiquitate non semper numerus nomorum idem fuisse ex Plinio et Ptolemaeo pateat; id tamen nolim pro certo affirmare, cum hoc unum argumentum mea quidem sententia ad veritatem probandam non sufficiat.

Maximam partem sequentis paragraphi Strabo nullo auctore adhibito composuisse videtur, cum nihil fere investigari possit, quod is, qui ipse illas regiones viserat, enarrare non potuerit. Fortasse autem, quod de circuitu

Deltae prodit, aliquo ex scriptore mutuatus est. Mensuras enim satis supra (p. 71 annot.) evicisse mihi videor Strabonem fere semper aliunde sumpsisse. Itaque est, cur inquiramus, unde Deltae mensuram hauserit. Quod ut cognoscamus, comparanda sunt, quae aliunde de magnitudine Deltae comperta habemus. Atque optime quadrant ad hanc mensuram eae, quas Artemidorus secundum Str. XVII. 1, 6 p. 791 C. (cfr. p. 72—77) et c. 1, 24 p. 804 C. prodit: ab ore Pelusiaco 750 st., a Canobico ostio 840 st. ad finem Deltae, a Canobico ad Pelusiacum 1300 st. patere. Quibus numeris computatis efficiuntur 2890 st., quae summa optime conciliari potest cum ea, quae est c. 1 § 4 p. 788 C. de circuitu Deltae: *ὅσον τρισχιλίων σταδίων*. Itaque Strabo eam ex Artemidori libro exscripsit.

§ 5 p. 789 C. tractatur causa crescentis Nili, quam Strabo dicit antiquos coniectura, posteriores re ipsa accuratius inquisita in imbribus positam statuisse. Quinam sint illi *οἱ δ᾽ ὕστερον*, ut eruamus, Agatharchidem comparemus, qui secundum Diod. I. 41 ab eadem sententia stetit: *ἔγγιστα δὲ τῇ ἀληθείᾳ ἐλήλυθεν Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος*. Ille autem nusquam Strabonis auctor erat, bis tantum ab eo citatur; XIV. 2, 15 p. 656 C. inter homines celebres Cnido oriundos, et XVI. 4, 20 p. 779 C., ubi narrat Artemidorum eum secutum esse. Inde apertum est Strabonem Agatharchidis librum non ipsum inspexisse, sed eum ex Artemidori scriptis nosse. Itaque magna cum specie veri obtineri potest, Strabonem c. 1, 5 p. 789 C. per Artemidorum hanc Agatharchidis explicationem comperisse. Praeterea nihil, quantum nunc videmus, Artemidoro tribuere possumus. Non igitur facio

cum Vogelio, qui omnia, quae de Ptolemaeorum itineribus narrantur, ex Artemidoro fluxisse censet.

Iam nunc, cum §§ 7 p. 793 C. — 17 p. 801 C. nihil sit, unde coniecturam facere possimus Strabonem aliunde aliquid in descriptionem recepisse, statim agam de §§ 18 C. 801 — 24 C. 804, ubi Strabonem nonnulla Artemidoro debere Vogel censet, quamquam plerumque non satis idoneis argumentis utitur. Sed examinemus singula. Primum sine ullo dubio initio § 18 p. 801 C. verba *τὰ δ' ἐν δεξιᾷ τῆς Κανωβικῆς διώρυγος* ad *ὧν καὶ Ἀρτεμίδωρος* inter illius fragmenta numeranda sunt. Neque ulla dubitatio est de maiore § 24 p. 804 C. parte, ubi Artemidori nomen expressis verbis memoratur; sunt ex illo deprompta *φησὶ δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος* ad *τὴν σχοῖνον* et paulo post *καὶ διότι παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις* ad finem.

Praeterea autem Vogel, quae § 18 p. 801 extr. C. de muro Milesiorum narrantur, eiusdem scriptoris esse affirmat. Quo tandem iure hoc faciat, non video, cum ne minimum quidem indicium extet. Ad eundem fontem redire censet §§ 20, 21 p. 802, 803 C., in quibus nomi enumerantur. Quam ad sententiam adductus est eo, quod Strabo non fuit in hac Deltae parte, quae ad orientem spectat. Quod mihi non satisfacit. Nomina enim nomorum et urbium huius partis certo comperit, cum secundum Nilum Alexandria per reliquam Deltae partem proficisceretur. Tamen non plane negem haec nomina alio ex fonte fluxisse. Sed nisi certissimis argumentis evincitur, hanc sententiam veram esse non licet contendere. Adhuc ex Artemidori descriptione huius regionis haec tantum scimus eum in universum de divisione Deltae egisse et nonnullos nomos memorasse, fr. 83, 85, 87, 88. Reliqua autem omnia, quae leguntur §§ 20, 21

cum Artemidori libro comparari non possunt. Itaque rem nondum ad certum finem perducere licet.

§ 25 p. 804 C. Vogel et Evers l. l. p. 34 summo iure Artemidoro adscribunt, quod cum Diod. I. 33, 8—12 optime consentit. Is autem III. 11, 2 profitetur se in describenda Aegypto praecipue Agatharchidem et Artemidorum adhibuisse [1]).

Sed alterum nolim probare, quod Vogel et Evers sentiunt, Diodorum quoque quae exhibet Artemidoro debere. Primo obtutu certe omnes idem putabunt, sed accuratius inspicienti satis gravia obstant. Primum videamus, quaenam inter Strabonem et Diodorum differentiae sint. Quae Strabo verbis *διαρρεῖ* ad *ὀρνέων* tradit, apud Diodorum desunt. Item solus Strabo narrat, Sesostrem primum fossam ex Nilo ad sinum Arabicum duxisse, cum solus Diodorus nomen fossae illius in ultimo capitis enuntiato tradat. Praeterea ordo rerum non semper idem est, Strabo initio urbis Arsinoës mentionem facit, Diodorus in fine. Maioris momenti est, quod secundum Strabonem Ptolemaei reges opus ad finem perduxerunt, Diodoro autem teste Ptolemaeus II. Sed fortasse haec omnia parvi aestimanda essent, nisi aliud quid accederet.

Extat enim, ut supra demonstravi, similis consensus etiam inter magnam partem Strab. XVI. 4 p. 769 sq. C. et inter Diodorum III. Nonnullis locis ad verbum fere idem praebent (si a levioribus quibusdam differentiis discesseris), cuius rei nonnulla exempla promam.

---

1) Accedit, quod § 26 p. 804 C., unde Strabonis ipsius descriptio incipit, Arsinoën et Cleopatridem urbes inter se diversas esse legimus, cum antecedentis paragraphi initio duo tantum nomina eiusdem urbis esse dicantur.

Strab. XVI. 4, 6 p. 770 C: *νύκτωρ δ' ὁρῶσιν οἱ συλλέγοντες. περικαθάψαντες δὲ ἀγγεῖον σημείου χάριν.*	Diod. III. 39, 9: *καὶ τῷ φανέντι λίθῳ περιτιθέασι σημείου χάριν ἄγγος.*
XVI. 4, 7 p. 770 C: *διαφαινομένου τοῦ μνίου καὶ τοῦ φύκους.*	III. 40, 3: *τοῦ διαφαινομένου καθ' ὕδατος μνίου καὶ φύκους.*
XVI. 4, 10 p. 771 C: *ἡ δ' ἔφοδος αὐτῶν ἀπὸ θερινῶν τροπῶν μέχρι μέσου χειμῶνος.*	III. 31, 2: *ἀπὸ γὰρ τῶν πρώτων τροπῶν τῶν θερινῶν μέχρι μέσου χειμῶνος.*
XVI. 4, 12 p. 772 C: *Πλησιόχωροι δὲ τούτοις εἰσί μελανώτεροί τε τῶν ἄλλων καὶ βραχύτεροι καὶ βραχυβιώτατοι Ἀκριδοφάγοι.*	III. 29, 1: *Βραχὺ δὲ τούτων ἀπέχοντες Ἀκριδοφάγοι κατοικοῦσι τὰ συνορίζοντα πρὸς τὴν ἔρημον, ἄνθρωποι μικρότεροι μὲν τῶν ἄλλων, ἰσχνοὶ δὲ τοῖς ὄγκοις, μέλανες δὲ καθ' ὑπερβολήν.*
XVI. 4, 19 in p. 778 C: *ἐν δὲ τῇ παραλίᾳ καὶ βάλσαμον καὶ ἄλλη τις πόα σφόδρα εὐώδης.*	III. 46, 2: *κατὰ μὲν γὰρ τὴν παράλιον φύεται τὸ καλούμενον βάλσαμον καὶ κασία καὶ πόα τις ἄλλη ἰδιάζουσαν φύσιν ἔχουσα.*

Singula quoque verba et dictiones apud utrumque in eadem re describenda leguntur: Strab. XVI. 4, 10 p. 772 in. C: *ἐπιτίθενται* = Diod. III. 26, 1; Str. XVI. 4, 12 p. 772 C: *οἱ ἐαρινοὶ λίβες καὶ ζέφυροι, πνέοντες μεγάλοι* = Diod. III. 29, 1: *κατὰ τὴν ἐαρινὴν ὥραν ζέφυροι καὶ λίβες παμμεγέθεις*; Str. l. l. *σκορπίων καὶ φαλαγγίων* = Diod. III. 30, 1: *φαλαγγίων καὶ σκορπίων*; Str. XVI. 4, 17 p. 775 C: *νομαδικὸς βίος* = Diod. III. 32, 1 *βίον*

ἔχοντες . . . νομαδικόν; Str. XVI. 4, 17 p. 776 in. C: ἀπ' ἄνθους τινος = Diod. III. 32, 3: ἀπό τινος ἄνθους.

Quibus exemplis cum satis mihi demonstrasse videar Diodorum et Strabonem saepissime easdem dictiones, eadem verba adhibere, hanc rem non pluribus persequar. Ac primo obtutu omnes puto existimaturos esse, utrumque ad eundem scriptorem se applicasse. Attamen certissimum est, Diodorum Agatharchidem, Strabonem Artemidorum adhibuisse. Quae cum ita sint, persuasum habeo ex tali consensu, qualem inter Strab. XVII. 1, 25 p. 804 C. et Diod. I. 33, 8—12 videmus, utrumque ex eodem fonte hausisse non licere concludi, cum Strabo ne XVI. 4 quidem una cum Diodoro eundem scriptorem excerpserit. Hac enim re monemur, ne parum caute omnia, quae in his libris congruunt, apud utrumque scriptorem Artemidoro attribuamus. Loco Diodori iam supra citato III. 11, 2 videmus Agatharchidem et Artemidorum fere semper idem tradidisse, itaque accurate omnia examinanda sunt, priusquam aliquo loco hunc vel illum Diodori fontem esse statuamus. Huc accedit, quod nonnullis locis in hac Aegypti descriptionis parte certo demonstrari potest, non Artemidorum, sed alium quendam a Diodoro adhibitum esse. Nam I. 32 contendit Diodorus Nilum fluvium a montibus Aethiopicis ad mare σὺν αἷς ποιεῖται καμπαῖς permeare spatium 12000 st., quod longe abest ab Artemidori sententia, qui fr. 90 idem intervallum 18200 stadia longum esse pronuntiat. Neque aliter se habent, quae Diod. I. 31 de latitudine et longitudine totius Aegypti profert. Dicit enim eam Aegypti partem, quae ad mare mediterraneum vergit, longam esse 2000 st., ad meridiem autem Aegyptum 6000 st. refugere. Quod conciliari non potest cum iis, quae Strabo de eadem re

praebet. Qui cum XVII. 1, 5 p. 788 C. statuat litus Aegypti esse id, quantum terrarum iacet ab ore Pelusiaco ad Catabathmum, id 3620 st. longum esse dicit, quae summa efficitur singulis intervallis secundum Artemidorum editis XVII. 1, 6; 1, 17; 1, 14. Et intervallum, quod est inter Syenen ad minorem cataractam sitam et mare et a Strabone secundum Eratosthenem et ab Artemidoro 5300 st. longum esse colligitur (fr. 90).

Hoc igitur unum perspicuum est Strabonem et Diodorum in his partibus fontibus inter se diversis usos esse. Itaque cum alia argumenta maioris momenti hucusque non accedant, hanc quoque quaestionem, uter scriptor, Artemidorus an Agatharchides, in fossa describenda I. 33 Diodori auctor fuerit, in medio relinquamus [1]. Sed utut est, Strabonis fontem Artemidorum fuisse constat.

Priusquam autem pergam, iterum mihi pugnandum est contra Eversium, qui l. l. p. 17 obtinet ea, quae Diod. I. 31, 6 de longitudine Aegypti proferat, hausta esse ex Artemidoro. Quam rem inde concludit, quod Diodorus l. l. perinde atque Artemidorus Aegyptum 6000 st. longam esse narret; praeterea dicit Diodorum et Artemidorum schoenum spatium 30 st. putare. Quae quidem omnia peraptam ansam praebent reprehendendi. Primum enim secundum Artemidorum et Eratosthenem Aegyptus non 6000 st. sed 5300 st. longa est. Praeterea ne tum quidem illa 6000 st. assequimur, si fr. 89. Artemidori adhibito longitudinem huius terrae ita computamus, ut a Philis ad Deltam $\overline{DC}$ p. = 4800 st., inde ad mare 750 st. colligamus, cum ita 5550 st. tantum effi-

1) Sed mox eam quaestionem profligaturum me esse spero.

ciantur. Itaque non video, quo teste Evers 6000 st. Artemidorum exhibuisse contendat.

Eodem modo, quod de schoeni longitudine disseruit Evers, refutandum est, cum Artemidorus secundum Strab. XVII. 1, 24 p. 804 C. schoenum vel 30 st. vel 60 st. vel 120 st. longum esse nuntiaverit, cumque etiamsi Diodorus mensuras Artemidoro debeat, minime consequatur, ut schoenus secundum Diodori mentem idem valeat atque Artemidoreus. Nonne fieri potuit, ut Diodorus, cum mensuras reciperet, omnino neglegeret, quanta esset schoeni longitudo? Quae cum ita sint, id quoque incertum est, quod Evers de mensuris a Diodoro de Moeri lacu editis locutus est.

In iis, quae sequuntur nihil aliunde petitum videtur, omnia Strabo ipse viderat. Itaque transeo ad § 41 p. 813 in. C., ubi Strabonem ad Artemidorum alludere, cum dicat *ἐντεῦθεν ἀρχὴ τῶν ἑξήκοντα σταδίων σχοίνων, ἕως Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης* apparet ex comparata § 14 p. 804 C., ubi de diversa nec sibi constanti schoenorum mensura exponitur.

§ 45 p. 815 C. narrat Strabo apud Coptum isthmum incipere, qui inter Nilum et mare Arabicum sit. Cum vero dicat in eo isthmi latere, quod ad illud mare patet, Berenicem urbem sitam esse, sequitur, ut illae, Coptus et Berenice, secundum Strabonis mentem eodem distare intervallo ab aequatore. Pergit tum: *οὐκ ἄπωθεν δὲ τῆς Βερενίκης ἐστὶ Μυὸς ὅρμος, . . . καὶ τῆς Κοπτοῦ οὐ πολὺ ἀφέστηκεν ἡ καλουμένη Ἀπόλλωνος πόλις, ὥστε καὶ αἱ διορίζουσαι τὸν ἰσθμὸν δύο πόλεις ἑκατέρωθέν εἰσιν.* Quam descriptionem a vero longe aberrare, Groskurd in annotatione, quam ad hunc locum composuit, rectissime animadvertit. Optime autem quadrat ad id, quod

Strabo XVI. 4, 5 p. 769 C. narrat, Sinum Immundum et Muris portum contra Thebaidem positum esse. Groskurd l. l. miratur, quomodo Strabo his duobus locis tantum peccare potuerit, praesertim cum, quo spatio Berenice absit ab aequatore, rectissime tradiderit II. 5, 36 p. 133 C. Equidem arbitror Strabonem illis locis fontes inter se diversos adhibuisse. II. 5, 36 p. 133 C. secutus est Eratosthenem, XVI. 4, 5 p. 769 C. Artemidorum, qua de re iam supra disputatum est (p. 52). Inde efficitur, ut locus XVII. 3, 45 p. 815 C. et ipse in numero Artemidori fragmentorum habendus sit. Videmus igitur iterum Strabonem in iis regionibus describendis, quas ipse non peragraverat, aliorum scriptorum libros adhibuisse, etiamsi tam prope afuit occasio quaerendo rem melius comperiendi.

Iam vero § 46 extr. p. 815 C. Artemidorum adhibitum esse, Evers l. l. p. 32 evicit. Reperiuntur enim etiam apud Diod. I. 45, 6 idem versus Homeri, quos nostro loco legimus, unde consequitur, ut idem auctor ab utroque scriptore usurpatus sit. Quem Evers sumit Hecataeum Abderiten fuisse a Diodoro I. 46, 8 laudatum: *οὐ μόνον δ' οἱ κατ' Αἴγυπτον ἱερεῖς ἐκ τῶν ἀναγραφῶν ἱστοροῦσιν, ἀλλὰ καὶ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων .... ὧν ἐστι καὶ Ἑκαταῖος*, eum igitur a Strabone per Artemidorum adhibitum esse. Quam coniecturam nolim laudare, et quod nulla eam ratione Evers confirmarit, et quod, si Strabo cum Diodoro de Aegyptiaca quadam re consentit, primum de Agatharchide vel de Artemidoro cogitandum sit. Utique hoc pro certo affirmari potest apud Strabonem Artemidorum auctorem esse. Idem de extrema paragraphi parte statuendum esse Evers l. l. copiose exposuit, cum optime congruat cum Diod. I. 50, 2. Liceat mihi exempla ab illo prompta uno hoc augere:

Strabo: *τοῖς τριακονθημέροις δώδεκα μησὶν ἐπαγόντων πέντε ἡμέρας κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον· εἰς δὲ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς τῆς ἡμέρας, περίοδόν τινα συντιθέασιν.*	Diod.: *τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δ' ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν.*

Quae de Iovis sacerdotibus narrantur, ea ideo cum Eversio ad eundem redire censeo, quod arte cohaerent cum antecedentibus, non quod optime concinant cum Diod. I. 47, 1. Neque enim hoc loco multum id valet. Displicet autem, quod etiam ea, quae ante hoc Artemidori fragmentum dicuntur de inscriptionibus, Straboni abiudicat. Nam Strabonem ipsum hac in regione fuisse testantur ipsius verba paulo supra edita: *κἀγὼ δὲ παρὼν ἐπὶ τῶν τόπων....*

Iam ad caput venio alterum, cum in reliquis omnibus paragraphis primi capitis, quarum non singillatim mentionem feci, nihil inveniatur, quod nos cogere possit descriptionem vel ex Artemidori vel ex alius scriptoris libro derivare. Ac Strabo nonnulla generatim de moribus Aethiopum praefatus incipit § 2 p. 821 C. ab verbis *ἔστι δὲ τὸ μέγιστον αὐτοῖς βασίλειον ἡ Μερόη* rem accuratius tractare. Quae quomodo consentiant cum Diod. I. 33, 2—4, videas:

Strabo: *ἔστι δὲ τὸ μέγιστον αὐτοῖς βασίλειον ἡ Μερόη, πόλις ὁμώνυμος τῇ νήσῳ· τὴν δὲ νῆσον θυρεοειδῆ φασι τὸ σχῆμα, τό τε μέγεθος τάχα πρὸς ὑπερ-*	Diod.: *ταύτην* (sc. *Μερόην*) *δὲ τῷ μὲν σχήματί φασιν ὑπάρχειν θυρεῷ παραπλησίαν, τῷ δὲ μεγέθει πολὺ προέχειν τῶν ἄλλων νήσων τῶν ἐν τούτοις τοῖς τόποις·*

βολὴν εἴρηται μῆκος μὲν ὅσον τρισχιλίων σταδίων, εὖρος δὲ χιλίων.	τὸ μὲν γὰρ μῆκος αὐτῆς εἶναι λέγουσι σταδίων τρισχιλίων, τὸ δὲ πλάτος χιλίων.
ἔχει δ' ἡ νῆσος καὶ ὄρη συχνὰ καὶ δάση μεγάλα· οἰκοῦσι δ' οἱ μὲν νομάδες, οἱ δὲ θηρευτικοί, οἱ δὲ γεωργοί. ἔστι δὲ καὶ χαλκωρυχεῖα καὶ σιδηρουργεῖα καὶ χρυσεῖα καὶ λίθων γένη πολυτελῶν· περιέχεται δ' ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης θισὶ μεγάλοις, ἀπὸ δὲ τῆς Ἀραβίας κρημνοῖς συνεχέσιν.	ἔχειν δ' αὐτὴν καὶ πόλεις οὐκ ὀλίγας, ὧν ἐπιφανεστάτην ὑπάρχειν τὴν Μερόην. παρήκειν δὲ τῆς νήσου τὸν περικλυζόμενον πάντα τόπον ἀπὸ μὲν τῆς Λιβύης θῖνας ἔχοντας ἄμμου μέγεθος ἀέριον, ἀπὸ δὲ τῆς Ἀραβίας κρημνοὺς κατερρωγότας. ὑπάρχειν δ' ἐν αὐτῇ καὶ μέταλλα χρυσοῦ τε καὶ ἀργύρου καὶ σιδήρου καὶ χαλκοῦ· πρὸς δὲ τούτοις ἔχειν πλῆθος ἐβέννου, λίθων τε πολυτελῶν γένη παντοδαπά.

Quos, etsi fere idem praebeant, non statim certum est, ad eundem auctorem redire, cum quanti valeat talis Diodori Strabonisque consensus supra (p. 86—88) uberius exposuerim. Sed fortasse aliud quid nos iuvat. Primum enim utitur Diodorus pariter ac Strabo inde a I. 33, 2 obliqua quam dicunt oratione. Deinde hoc alicuius momenti est, quod Meroë I. 33, 2—4 Aegypti descriptione interrupta depingitur. Duo igitur auctores apud Diod. I. 33 statuendi sunt, quorum alter Artemidorus, alter Agatharchides esse debet, cum uterque optime consentiat cum Strabone [1]). Quid utrique tribuendum sit, si quae-

1) Ex iis enim, quae supra (p. 86) de partibus et Strabonis et Diodori idem praebentibus disputata sunt, per se

rimus, Artemidoro tribuemus I. 33, 2—4, Agatharchidi I. 33, 8—12, cum ille plane idem praebeat ac Strabo, hic de nonnullis rebus ab eo dissideat.

Proponam nunc ea, quae Str. XVII. 2, 3 p. 822 C. iisdem verbis exhibeat ac Diod. III. 6 sq.

Str.: *τόξοις τετραπήχεσι ξυλίνοις.*	Diod. III. 8, 4: *ξυλίνοις τόξοις τετραπήχεσιν.*
αἱ πλείους κεκρίκωνται τὸ χεῖλος τοῦ στόματος χαλκῷ κρίκῳ.	l. l. *χαλκοῦν κρίκον φέρειν ἐν τῷ χείλει τοῦ στόματος.*
τοὺς δὲ νεκροὺς οἱ μὲν εἰς τὸν ποταμὸν ἐκρίπτουσιν, οἱ δ' οἴκοι κατέχουσι περιχέαντες ὕαλον· τινὲς δὲ ἐν κεραμίαις σοροῖς κατορύττουσι κύκλῳ τῶν ἱερῶν.	III. 9, 3: *οἱ μὲν γὰρ εἰς τὸν ποταμὸν βάλλοντες .... οἱ δὲ περιχέαντες ὕελον .... ἔνιοι δ' εἰς ὀστρακίνας σοροὺς ἐμβάλλοντες κατορύττουσι κυκλῷ τῶν ἱερῶν.*
κυριωτάτην τάξιν ἐπεῖχον	III. 6, 1: *κυριωτάτην τάξιν ἔχοντες*
ἀποθνήσκειν πέμψαντες ἄγγελον	*πέμπουσιν ἄγγελον .... κελεύοντες ἀποθνήσκειν.*
κατέλυσε τὸ ἔθος	III. 6, 4: *τὸ δὲ ἔθος τοῦτο καταλύσας*
ὅπου ὁ χρυσοῦς νεώς ἐστι	*οὗ συνέβαινεν εἶναι τὸν χρυσοῦν ναόν.*
καὶ τοὺς ἱερέας ἀποσφάξας πάντας·	*τοὺς μὲν ἱερεῖς ἅπαντας ἀπέσφαξεν.*
ὃς γὰρ ἂν τῶν βασιλέων πηρωθῇ μέρος τι τοῦ σώματος ὁπωσοῦν.	III. 7, 1: *ἐπὰν ὁ βασιλεὺς μέρος τι τοῦ σώματος πηρωθῇ δι' ἡνδηποτοῦν αἰτίαν.*

---

intellegitur, apud Strabonem § 2 Artemidorum fontem esse. Idem de § 3 statim tractanda statuendum est.

Quibus rebus nondum demonstrari etiam apud Diodorum Artemidorum auctorem esse propter causas iterum iterumque prolatas nemo negabit. Sed accedit aliud quid. Possumus enim apud Diodorum duos auctores iterum distinguere, quoniam III. 8, 1 adversatur III. 10, 1. Cum enim priore loco narretur aliam gentem Aethiopum Nili ripas ipsas habitare, aliam ad occasum, aliam ad orientem sedes habere, legitur III. 10, 1 Libycos et Aethiopas certare de Nili ripis. Hoc autem consentit cum Strabone XVII. 2, 3 in. p. 822 C. Itaque quaestio, utri Diodorus debeat III. 6—10, 1, Agatharchidi an Artemidoro, sic disceptanda est, ut III. 6—7; 8, 4—10, 1 Artemidoro, III. 8, 1—3 Agatharchidi addicamus. Quam ad rem optime quadrat, et quod III. 8, 1—3 cum Strabonis verbis nihil consentit, et quod III. 7 eadem dicendi ratio occurrit, quam I. 33, 2—4 reperimus; saepissime enim *λέγουσιν*, *φασίν*, similia legimus.

Etiam § 4 p. 823 C. ex eodem fonte fluxisse Vogel existimat. Perlustremus autem singula, priusquam eum sequamur. Comparandus est cum hac paragrapho Diod. I. 34, ubi fere eaedem plantae describuntur, quae a Strabone: *λωτός*, *κιβώριον*, unde *κύαμος*, *περσέα*, *συκάμινος*, *μυξάριον*, apud Strabonem *κύαμος*, unde *κιβώριον*, *βύβλος*, *περσέα*, *συκάμινος*, unde *συκόμορος*, *κόρσιον*, *τράγημα*. Itaque non optime inter se consentiunt, quae uterque scriptor narrat. Secundum Diodorum ciborium procreat cyamum, secundum autem Strabonem ciborium originem ducit a cyamo. Iam vero sycamino tradit Diodorus pauperes per totum annum vesci, Strabo autem de eo dicit: *ἄτιμον δ' ἐστὶ κατὰ τὴν γεῦσιν*. Huc accedit, quod quae singillatim de fructibus proferuntur, haud ita accurate inter se consentiunt. Hoc igitur aper-

tum, in describendis plantis Strabonem et Diodorum compluria narrasse, quae inter se pugnent. Tum ne hoc quidem commune habent, ut de eisdem plantis verba faciant; immo vero solus Diodorus describit lotum et myxarion, solus Strabo byblum, corsion, tragema. Nihil igitur nos habere opinor, quod apud utrumque scriptorem eundem fontem statuamus.

Eiusdem indolis est § 5 p. 824 C., qua de causa etiam huic Vogelii dissertationis parti repugno, qua inde, quod et apud Diodorum I. 34 et apud Strabonem *ζύθου* potionis mentio fit et fructus alicuius *κίκι* nominati, qui oleum quoddam generat, utrumque ea eidem auctori debere concludit. Sed praeter has duas res nihil invenitur in hac paragrapho, quo haec Vogelii opinio affirmetur.

Quibus rebus perfectis Strabo in capite tertio pervenit ad ultimam libri partem, ad describendam Libyam. Prima verba Strabo ipse composuit usque ad *τὰ μὴ λεχθέντα πρότερον*. De fontibus in reliqua paragraphi parte adhibitis Vogel hanc sibi finxit sententiam: Strabonem hoc loco non, ut soleat, secundum Eratosthenem in universum regionem Libycam describere, priusquam ad singula accedat, saepissime autem idem quod geographum Cyrenaïcum proferre. Praeterea eum sequi Cn. Pisonem, quod ut intellegatur, II. 5, 33 p. 130 C. conferendam esse.

Sed hoc primum monendum est, Strabonem re vera, ut saepius, etiam in hac paragrapho in universum de Libya disserere, cuius rei testimonium ex ipsius scriptoris verbis petere licet. Videas postrema § 1 extr. p. 825 C. verba: *τὰ καθ' ὅλον μὲν ταῦτα περὶ Λιβύης· τὰ καθ' ἕκαστα δὲ λεκτέον, ἀρχομένοις ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν καὶ τῶν ἐπιφανεστέρων.* Nonne haec Vogelii sententiae plane

adversantur? Itaque malim facere cum Bergero l. l. p. 308, qui paragraphum fere totam inde a verbis *οἱ μὲν οὖν πρὸς τὰς ἠπείρους τὴν οἰκουμένην διελόντες* ad finem Eratostheni tribuit, excepta parte *τάχα δὲ καὶ τῆς Εὐρώπης ἐλάττων ἐστίν* ad p. 825 C: *καὶ τὸν Καταβαθμόν*. Cui eo magis assentiri possumus, quod Strabonem scimus, antequam singula narret, brevem descriptionem Eratothene auctore solere praemittere. Cuius rei haec duo exempla apponam: XVI. 4, 4 p. 769 C: *τὰ μὲν δὴ τοῦ Ἐρατοσθένους περὶ τῆς Ἀραβίας τοιαῦτα. προσθετέον δὲ καὶ τὰ παρὰ τῶν ἄλλων.* XVII. 1, 1 p. 785 C: *κἀνταῦθα δ' Ἐρατοσθένους ἀποφάσεις προεκθετέον*, XVII. 1, 2 p. 786 C: *Ἐρατοσθένης μὲν οὖν οὕτως.* Nonne praebent hi loci fere eandem speciem, quam XVII. 3, 1 p. 825 C?

Tum hoc quaerendum, unde Strabo eos numeros, quos de Africae longitudine et latitudine eosdem profert atque Eratosthenes, hauserit, nisi ex illo? Omnia igitur feliciter eveniunt, si Bergerum sequimur. Atque ego hanc quoque partem, quam Berger nescio qua de causa discrevit, eiusdem auctoris esse crediderim. Vogel eam ex Cn. Pisone fluxisse contendit, sed ut mihi quidem videtur, non sat idoneis usus argumentis. Comparari enim iubet Strab. II. 5, 33 p. 130 C: *ἔστι δὲ* (sc. *ἡ Λιβύη*) ... *ἐοικυῖα παρδαλῇ· κατάστικτος γάρ ἐστιν οἰκήσεσι περιεχομέναις ἀνύδρῳ καὶ ἐρήμῳ γῇ. Καλοῦσί τε τὰς τοιαύτας οἰκήσεις Αὐάσεις οἱ Αἰγύπτιοι*, cum XVII. 3, 1 p. 825 C: *κατοικίαις δὲ κατάστικτός ἐστι μικραῖς.* Sed praeter vocabulum *κατάστικτος* utroque loco usurpatum nihil invenitur, quod ad stabiliendam illam sententiam adhiberi possit.

Iam vero quae Strabo hic de singulis intervallis

profert, optime congruunt cum Eratosthene, qui apud Strab. I. 4, 2 p. 63 C. a Meroë ad Alexandriam 10000 st., ultra Meroën 3400 st. patere dicit. Eadem Libyae latitudo significatur eo loco, de quo nunc sermo est, *τὸ γοῦν αὐτὸ θετέον τὸ μέγιστον πλάτος τῆς Λιβύης, μυρίους καὶ τρισχιλίους ἢ τετρακισχιλίους σταδίους.* Neque obstat, quod hic regionem ultra Meroën sitam 3000 st. latam esse traditur, I. 4, 2 p. 63 C. eandem 3400 st. Nam XVII. 3, 1 p. 825 C. Strabo numerum minus accuratam edit. Quod si non sumitur, non intellegitur, cur Libyam 13000 vel 14000 st. latam esse dicat. Nullam autem offensionem praebent haec verba, si recordamur secundum Eratosthenem hoc spatium 13400 st. longum esse. Totam igitur paragraphum exceptis primis verbis Eratosthenis esse puto.

De § 2 p. 825, 826 C. cum iam supra (p. 16, 18) egerim, nunc statim transeo ad § 7. p. 827 C., quam ut Artemidoro reddamus, Vogel levibus argumentis frustra nobis persuadere studet.

§ 8 p. 829 C. priorem partem ad verba *καίπερ ταὐτοκλινεῖς ὄντας* inter Artemidori fragmenta recipiendam esse, abunde testantur ipsius Strabonis verba. De his igitur omnis dubitatio praecisa est.

§ 10 p. 830 C. nihil nisi pars primi enuntiati, ubi fons nominatim memoratur, Artemidoro adsignari potest. Qui autem fons sit § 11 p. 830, 831 C., puto non posse diiudicari, cum ex Strabonis verbis nihil consequatur. Recte fortasse Vogel Artemidorum vel Posidonium proposuit, sed coniectura tantum id assecutus est, non argumentis demonstravit. Eodem modo causam, qua nisus contendit Vogel Artemidorum § 19 p. 835 C. fontem esse, non sufficere existimo; unum enim illud, quod verbis

τἆλλα δὲ ἐμφερεῖς τοῖς νομάσι τῶν Ἀράβων et *καὶ μάλιστα πρὸς τοῖς Αἰθίοψι* respicitur ad illorum populorum descriptionem, quam Strabo ab Artemidoro depromp-serat, hanc sententiam non satis tuetur. Altera autem ex parte eo, quod forma *Γαιτοῦλοι*, non *Γαιτύλιοι* ut Artemidorus usurpatur, non strenue demonstratur hunc geographum non adhibitum esse. Ergo res adhuc sub iudice est.

Haec habui, de fontibus a Strabone in libris III, XVI, XVII adhibitis quae dicerem, totaque quaestione ad finem perducta subiungam fr. 90 Artemidori, priusquam, quas horum librorum partes certo auctori imputaverim, indice pronuntiem. Id enim fragmentum, quod solum in codice servatur, non libro alius scriptoris antiqui insertum ad nostram aetatem pervenit, Rudolphus Schoell accuratissime excussit et, quibus locis Stiehle l. l. a codicis scriptura aberravisset, pro singulari sua humanitate mecum communicavit. Adscripsi Eratosthenis fr. III. B. 51 Berger (ap. Strab. XVII. 1, 2 p. 786 C.), cum inde luce clarius sit Artemidorum in Nilo describendo Eratosthenis vestigia legisse.

Vel inde dubium fit, num ad enucleandum Artemidori genus dicendi magnus fructus ex hoc fragmento percipi possit, sed paene eripitur spes accedente altera re. Curtius enim Wachsmuth cognovit multa in eo inesse vestigia, quibus scribam quendam Byzantinum saepius verba mutasse, omisisse, enuntiata decurtasse indicatur, ut excerpsisse potius, quam descripsisse videatur. Apparet enim Artemidorum non tam obscure dixisse, quinam sint illi homines, quos sequatur, ut v. 18, 19 verbis *φασὶν οὖν* et v. 31. *οἱ πλεῖστοι τοῦ κόσμου σοφοί* eumque v. 25. pro *ἔν τινι τόπῳ* et v. 30. pro *ὁ τόπος*

ἐκεῖνος nomina regionum enarrasse. Byzantinum illum scribam fuisse hisce locutionibus comprobatur v. 21. *Ἰστέον δὲ* — hoc enim modo Byzantini transitus facere solent — et v. 31, 32 *εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν*, cuius loco *ἐν τῇ οἰκουμένῃ* desideratur. Inquinatum igitur videmus hoc fragmentum nec genuina forma servatum.

Artemidorus.

Ἀρτεμιδώρου γεωγράφου περὶ τοῦ Νείλου. Ὁ Νεῖλος, ῥέων ἀπὸ τῆς μεσημβρίας καὶ τῶν τόπων τῶν κατὰ τὴν Μερόην, φέρεται πρὸς τὰς ἄρκτους. διεξελθὼν δὲ σταδίους ,βψ ἀντιστρέφει τὸ ῥεῦμα πάλιν ὡς ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν, ἀγκῶνα ποιήσας. καὶ οὕτως φέρεται ἀντεπιστρόφως πρὸς τὰς χειμερινὰς δυσμάς, ἐπὶ στάδια ,γψ. ἀντάρας δὲ τοῖς κατὰ Μερόην τόποις καὶ πολὺ προσπεσὼν εἰς τὴν Λιβύην, κάμψιν ποιεῖται ἑτέραν πρὸς τὰς ἄρκτους. καὶ οὕτως πρὸς τὴν ἕω παραστρέφων διανύει ἐπὶ τὸν μέγαν καταράκτην στάδια ,ετ· ἐπὶ δὲ τὸν ἕτερον καταράκτην τὸν κατὰ Συήνην καὶ τὴν Ἐλεφαντίνην πόλιν ποιεῖται στάδια ;α σ. ἐπὶ δὲ τὴν ἐκβολὴν κατὰ τὴν ἡμετέραν θάλασσαν στάδια ,ετ. ὡς γενέσθαι τοὺς πάντας σταδίους ,ι ,ησ. εἰς δὲ τὸν Νεῖλον προσεισβολοῦσι ποταμοί. εἷς ἀπὸ τῆς μεσημβρίας φερόμενος, καλούμενος Ἀσταβόρας (τούτου καὶ ἀπόσπασμα φέρεται εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν). ἕτερος ἀπὸ τῶν τῆς ἕω καὶ τῶν τῆς Ἀραβίας ὀρῶν. τρίτος Ἀστασόβας. φασὶν οὖν, ὅτι οὗτοί εἰσιν οἱ πληροῦντες τὸν Νεῖλον, ὑπὸ τῶν θερινῶν ὄμβρων αὐξούμενοι.

Ἰστέον δέ, ὅτι δύο στόματα ὁ Νεῖλος ποιεῖ. τὸ μὲν ἕν, τὸ πρὸς ἑσπέραν νεῦον καὶ πρὸς ἄρκτους φερόμενον, καλεῖται Κανωβικόν. τὸ δὲ ἕτερον, τὸ πρὸς τὰς θερινὰς ἀνατολὰς ἀποκλῖνον, καλεῖται Πηλουσιακόν. Πα-

ῥαρρέει δ' ὁ Νεῖλος ἔν τινι τόπῳ καὶ ποιεῖ λίμνην ἄνωθεν τῆς Ἀλεξανδρείας, ὀνομαζομένην Μαρεῶτιν μεγίστην οὖσαν. αὕτη γοῦν ἔχει πλάτος σταδίων ρν. μῆκος δὲ σταδίων σο. ἐντὸς δὲ περιείληφε νήσους η. διὰ δὲ τῶν ὑγιεινῶν τοῦ Νείλου ὑδάτων καὶ τῶν εὐκράτων ἀέρων εὐδαιμονίας μεγάλης ὁ τόπος ἐκεῖνος μετέχει. φασὶ γοῦν οἱ πλεῖστοι τοῦ κόσμου σοφοί, ὅτι οὐκ ἔστιν ὕδωρ εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν ὅμοιον τοῦ Νείλου εἴς τε ὑγείαν, καὶ πέψιν, καὶ εὐρωστίαν σωματικὴν καὶ τοῦτο ὑπονοοῦσι διὰ τὸ τὴν ὕλην ἀπορρεῖν. λέγουσι γάρ, ὅτι, ἐπειδὴ ἐπὶ πολὺ καθαιρεῖται διὰ τῆς ἀναβάσεως ἥ τε ὕλη καὶ ὁ βόρβορος αὐτοῦ, διηθεῖ καὶ ὑγιεινὸν γίνεται.

Eratosthenes.

ῥυεὶς γὰρ [sc. ὁ Νεῖλος], φησὶ [sc. Ἐρατοσθένης], ἀπὸ Μερόης ἐπὶ τὰς ἄρκτους ὡς δισχιλίους καὶ ἑπτακοσίους σταδίους, πάλιν ἀναστρέφει πρὸς μεσημβρίαν καὶ τὴν χειμερινὴν δύσιν ὡς τρισχιλίους καὶ ἑπτακοσίους σταδίους, καὶ σχεδὸν ἀντάρας τοῖς κατὰ Μερόην τόποις καὶ εἰς τὴν Λιβύην πολὺ προπεσὼν καὶ τὴν ἑτέραν ἐπιστροφὴν ποιησάμενος πρὸς τὰς ἄρκτους φέρεται πεντακισχιλίους μὲν καὶ τριακοσίους σταδίους ἐπὶ τὸν μέγαν καταράκτην, μικρὸν παρεπιστρέφων πρὸς τὴν ἕω, χιλίους δὲ καὶ διακοσίους τοὺς ἐπὶ τὸν ἐλάττω τὸν κατὰ Συήνην, πεντακισχιλίους δὲ ἄλλους καὶ τριακοσίους ἐπὶ τὴν θάλατταν. ἐμβάλλουσι δ' εἰς αὐτὸν δύο ποταμοί, φερόμενοι μὲν ἔκ τινων λιμνῶν ἀπὸ τῆς ἕω, περιλαμβάνοντες δὲ νῆσον εὐμεγέθη τὴν Μερόην· ὧν ὁ μὲν Ἀσταβόρας καλεῖται κατὰ τὸ πρὸς ἕω πλευρὸν ῥέων, ἅτερος δ' Ἀστάπους· οἱ δ' Ἀστασόβαν καλοῦσι, τὸν δ' Ἀστάπουν ἄλλον εἶναι, ῥέοντα ἔκ τινων λιμνῶν ἀπὸ μεσημβρίας, καὶ σχεδὸν τὸ κατ' εὐθεῖαν σῶμα τοῦ Νείλου τοῦτον ποιεῖν· τὴν δὲ πλήρωσιν αὐτοῦ τοὺς θερινοὺς ὄμβρους παρασκευάζειν.

Fragmentum extat in cod. Monac. gr. 287 chart. 4°. saec. XV. f. 161 1. Ἀρτεμιδάρου. 3. φέρεται ex φαίρεται corr. l. l. διεξελθῶν. 5. 6. ἀνεπιστρόφως cod., ἄν, ἐπιστρόφως Stiehle, ἀντεπιστρόφως C. Wachsmuth. 6. ἐπὶ στάδια ,τ ψ. 7. κατὰ μερόοις cod., κατὰ Μερόην Xaver. Berger. 7. 8. πρὸς πεσών. 8. 9. πρὸς τοὺς ἄρκτους cod., πρ. τὰς ἄ. ego, cfr. v. 3. 9. 10. ἑῶ παραστρέφων καὶ διανύει cod., ἕω παραστρέφεται Stiehle, παραστρέφων διανύει ego collatis Eratosthenis fragmenti supra expressi verbis v. 44. 45 μικρὸν παρεπιστρέφων πρὸς τὴν ἕω. 14. τοὺς πάντας σταδίους ἄουσι ,ᾶω' cod., ,ι,ησ Berger. Noli haerere in eo, quod modo στάδιοι modo στάδια legitur; apparet enim ex ceteris Artemidori fragmentis ad verbum citatis, eum formam et masculini et feminini generis adhibuisse. cfr. fr. 38, 55, 133, Epit. 8. 14. 15. πρὸς εἰσβολοῦσι. 16. εὐσταβόρας. 18. ἕτερος cod., τρίτος Stiehle. Cum apud Artemidorum duo tantum nomina legantur et secundum Eratosthenem, quem ille secutus est, duo tantum flumina, Astaboras et Astapus, fuerint, suspicari licet re vera Artemidorum quoque duo commemorasse, atque id eo magis, quod in codice hoc loco extat ἕτερος Ἀστασόβας, non τρίτος. Quam ego suspicionem quominus probem duabus causis impedior, et quod apud Strab. XVI. 4, 8 p. 771 C., ubi Artemidorum fontem esse supra demonstravi, tres fluvii enarrantur, et quod eo loco, de quo nunc sermo est, Astaborae et Astasobae, non, ut desideramus, Astaborae et Astapi, mentio invenitur. Crediderim igitur Artemidorum eos secutum esse, quorum sententiam Eratosthenes verbis οἱ δ' Ἀστασόβαν καλοῦσι addit, scribam autem, quem neglegentiorem fuisse supra explicatum est, alterius fluminis nomine omisso pro τρίτος scripsisse δεύτερος. — 18. ἀστησόβας. 19. οὗτοι εἰσὶν. 20. αὐξούμενον in αὐξούμενοι corr. 24. ἀποκλίνον. 25. παραρέει. 26. μαραιότην, corr. μαραιώτην cod., Μαρεῶτιν Stiehle. 27. στάδια ρ ν'. 28. στάδια σ ο. 32. ὑγίαν cod., ὑγίειαν Stiehle, ὑγείαν C. Wachsmuth, quia haec est forma recentior. 33. πέμψιν cod., πρόληψιν Stiehle, πέψιν R. Schoell. ἂν ἀποροῦσι cod., ὑπονοοῦσιν ego, pro ἂν fortasse εὖ C. Wachsmuth. 36. διηδές cod. διηθεῖ R. Schoell collato Herod. II. 93, ubi verbum διηθεῖν item intransitive adhibetur.

INDEX.

(Pos. = Posidonius; auct. Rom. = auctor Romanus; Polyb. = Polybius; Asclep. = Asclepiades; Artem. = Artemidorus; Apoll. = Apollodorus; Erat. = Eratosthenes.)

Liber III (p. 2, 3, 8—46).

Cap. I, p. 136—140 C.

§§ 1, 2 Strabo.
§ 3 Posidonius, p. 12, 27—29.
§ 4 Ἀναλαβόντες ad ἀρξάμενοι Strabo.
τοῦτο δέ ἐστι ad ἀκρωτήριον Pos. p. 10, 19, 27—29.
καὶ δὴ καὶ ad βουλόμενοι auct. Rom. p. 19, 45, 46.
αὐτὸ δὲ τὸ ἄκρον ad finem Artemidorus.
§ 5 Ταῦτα μὲν οὖν ad οὐ πάνυ Artemidorus.
λέγειν γὰρ δὴ ad τὰς δύσεις Posidonius.
ὁ δέ γε Ἀρτεμίδωρος ad τῷ ὠκεανῷ Artemidorus.
καὶ ὁ Ποσειδώνιος ad finem Posidonius.
§ 6 Posidonius p. 10, 25, 27—29 exceptis his partibus:
ἦν Κελτικοὶ ad ὑπὸ Ῥωμαίων Polybius p. 29.
καλοῦσι δ' ἀπὸ ad Τουρδητανίαν auct. Rom. p. 31, 45, 46.
τοὺς δ' ἐνοικοῦντας ad Τουρδούλους Polyb. p. 19.
νυνὶ δ' ἐν ad διορισμός auct. Rom. p. 31, 45, 46.
σοφώτατοι ad γλώττῃ μιᾷ Asclepiades p. 30, 31.
§ 7 Posidonius p. 10, 27—29, 31, 32.
§ 8 Εἶτα Μενλαρία ad ταριχεῖαι p. 10, 27—29.
ἦν δὲ καὶ Ζῆλις ad τὴν πόλιν auct. Rom. p. 20, 32, 46.
εἶτα Γάδειρα ad τῶν ἁπασῶν ἐστιν Pos. p. 10, 27—29.
ἀλλὰ ad λέγωμεν Strabo.
§ 9 Posidonius p. 10, 27—29 exceptis his partibus:
ὡς δ' ἔνιοι ad παραλίαν incertae originis.
ἐνταῦθα δέ που ad σωτηρίας χάριν
καὶ πόλις Ἐβοῦρα ad Λοῦκεμ δουβίαν } auct. Rom. p. 32, 33, 45, 46.
τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ Ἱεροῦ ad finem

Cap. II, p. 141—151 C.

§ 1 Τῆς δ' οὖν ἐντὸς ad Ἴσπαλις ἐπιφανής Pos. p. 39, 40.
καὶ αὐτὴ ἄποικος Ῥωμαίων ad finem, auct. Rom. p. 40, 46.
§ 2 auctor Romanus p. 40, 46.
§ 3 ad § 5 Posidonius p. 39—41.

§ 6 ad § 8 Polybius p. 41—43.
§ 9 Posidonius.
§ 10 Polybius.
§ 11 ad ὅσον ἐνναχοσίους σταδίους Polybius.
καὶ Ἐρατοσθένης ad finem Artemidorus.
§ 15 auctor Romanus p. 30, exceptis verbis ὡς δ' εἴρηκε Πολύβιος, διὰ τὴν συγγένειαν Polybius p. 30.

Cap. III, p. 151—156 C.

§ 1 ad καὶ ὑπὲρ τὸν Μόρωνα δ' ἔτι μακρότερος ἀνάπλους ἐστίν Pos. p. 10, 27—29.
ταύτῃ δὲ τῇ πόλει ad αὗται κράτισται Polyb. p. 29, 30.
πολύιχθος ad finem Pos. p. 10, 27—29.
§ 2 ad ἐπέχοντες πολλὴν Artemidorus p. 21, 22.
διὸ καὶ δυσμαχώτατοι ad ἐπωνυμίαν Polyb. p. 22, 29.
καὶ νῦν ἤδη ad παρεσκεύασαν auct. Rom. p. 22, 45, 46.
τῆς μὲν οὖν ad finem, Artemidorus p. 21—24.
§ 3 ad καὶ τὸ ἀρκτικὸν ὁ ὠκεανός Pos. p. 2, 3, 10, 27—29.
τὸ δ' ἑωθινὸν ad τὴν ἀδοξίαν auct. Rom. p. 3, 45.
ὑπεναντίως ad ὀνομάζουσιν Pos. p. 2, 3, 10, 27—29.
ὅμοροι ad οὐ μεγάλων auct. Rom. p. 8, 49.
ᾗ δὴ καὶ ad finem Posidonius.
§ 4 ad μετὰ τούτους ὁ τῆς Λήθης Pos. p. 8, 10, 27—29.
ὅν τινες Λιμαίαν ad Οὐακκαίων ῥεῖ auct. Rom. p. 33, 34, 45, 46. exceptis verbis οἱ δὲ Βελιῶνα καλοῦσι, quae ad Artemidorum redeunt, p. 21.
καὶ ὁ μετ' αὐτὸν Βαῖνις Pos. p. 8, 10, 27—29.
οἱ δὲ Μίνιον ad σταδίους auct. Rom. p. 33, 45, 46.
Ποσειδώνιος ad τοῖς πεδίοις Pos. p. 8, 10, 27—29, 34.
τῆς μὲν οὖν Βρούτου ad οὗτος Polyb. p. 29, 30.
περαιτέρω ad finem Pos. p. 8, 10, 27—29, 34.
§ 5 ad πέρας ἐστίν Posidonius p. 8, 10, 27—29.
περιοικοῦσι ad ἀγορευθῆναι auct. Rom. p. 8, 9, 45, 46.
ἔχουσι δὲ ad προσαγορεύουσιν Pos. p. 9, 10, 27—29.
οἱ δὲ νῦν ad καλοῦσιν auct. Rom. p. 10.
ἔθνη μὲν οὖν ad Ἀρτάβρων Pos. p. 9, 10, 27—29.
εὐδαίμονος ad finem Polybius, p. 29.
§ 6 § 7 Asclepiades, p. 43, 44.
§ 8 ad φιλάνθρωπον Asclep. p. 43—45.
ἧττον δὲ νῦν ad θηριωδέστεροι auct. Rom. p. 44—46.
τοιαύτης δ' οὔσης ad ἀτοπίαν Asclep. p. 43—45.
ἀλλὰ νῦν ad finem auct. Rom. p. 44—46.

Cap. IV, p. 156—160 C.

§ 1 Stadiasmus, p. 25, 34.
§ 2 Posidonius p. 10, 25—29, 34.
§ 3 ad Ποσειδώνιός τε εἴρηκε Pos. p. 10, 27—29, 35.
καὶ Ἀσκληπιάδης ad Ἰταλίαν Asclepiades.
καὶ ἐν τῇ Λιβύῃ ad τῆς Κυρήνης τόπων, Artem.
ἄλλοι τε ad finem incertae originis.
§ 6 Posidonius, p. 10, 27—29, 35 secernenda sunt:
πλησίον δὲ ad Δέρτωσσα κατοικία auct. Rom. p. 36, 46.

§ 7 ad ἐν κόλπῳ δὲ ἱδρυμένη Pos. p. 10, 27—29.
καὶ κατεσκευασμένη ad τῆς πολλῆς, auct. Rom. p. 35, 45.
αἵ τε Γυμνησίαι ad ὑπαγορεύουσιν, Pos. p. 10, 27—29.
Ἐρατοσθένης ad Ἀρτεμίδωρος Artemidorus[1]).
§ 8 ad ἀγαθὴ καὶ εὐλίμενος Pos. 10, 27—29.
ἐνταῦθα δ' ἐστὶ καὶ ad finem Polybius p. 37.
§ 9 incertae originis p. 37, 38.

Liber XIII (p. 4—9).

Cap. I, p. 606—615 C.

§ 51 μετὰ γὰρ τὸ Λεκτὸν ad καλούμενον κόλπον Artem. p. 4, 6.
λέγεται γὰρ καὶ ad περιλαμβάνεται Apoll. p. 3, 7.
ἰδίως μέντοι τοῦτόν φασιν ad ἔχουσα λιμένα Artem. p. 4, 6.
ὑπὲρ αὐτῆς ἐν τῇ μεσογαίᾳ ad μέχρι Κανῶν κόλπος Apoll. p. 3, 7.
§ 67 ἐν δὲ τῷ πέραν ad (§ 68) ὁ Ἐλαϊτικός ἐστιν Apoll. p. 4, 7.
§ 68 Κάναι δὲ πολίχνιον ad τῷ ζώῳ
Κύκλῳ δὲ περὶ ad αὐτῷ τοὔνομα } Artem. p. 4, 6.

Cap. II, p. 616—619 C.

§§ 1—2.
§ 4 ad στάδιοι εἰκοσιοκτώ
Ἄντισσα δ' ἐφεξῆς ad Μήθυμνα
§ 5 ad τετταράκοντα
§ 6 διέχει δ' ἡ Λέσβος ad finem } Artemidorus p. 7.

Cap. III, p. 622 C.

§ 5 ὡς δ' Ἀρτεμίδωρος ad ἐπὶ Ἴλιον Artem. p. 5.

Liber XVI (p. 46—71).

Cap. II, p. 751—760 C.

§ 8 πρὸς θαλάττῃ ad ἱδρυμένη
ἔτι δὲ πρότερον ad finem
§ 9 Εἶτα Λαοδίκεια ad εὐλίμενος πόλις
§ 33 φησὶ δ' Ἀρτεμίδωρος ad finem } Artem. p. 47—49.

Cap. IV, p. 769—779 C.

§ 5 ad § 20 ἡγήσασθαί τε τῶν τόπων Artem. p. 53.
excipiendae autem sunt hae partes:

---

1) Adsentior enim Zimmermanno, qui p. 357, 358 Strabonem in Hispania describenda Eratosthene non usum esse sumit, sed eum iis tantum locis citare, ubi apud Artemidorum mentionem eius invenerit. Nec deducit me de hac sententia R. Hansen l. l., qui contra Vogelium pugnat, quod Strabo noverit ea, quae Eratosthenes de Hispania tradidit. Recte id quidem; sed quis est, qui putet Strabonem Eratosthene usum esse, quem loco iam supra (p. 15) citato rerum Hispanicarum plane ignarum esse dixit?

§ 9 μετὰ δὲ τὴν Ἐλαίαν ad χώρα Κορακίου Strabo p. 62, 66.
μετὰ δὲ τοὺς Κόνωνος ad finem ,, p. 62.
§ 10 τῷ δ' Ἀντιφίλου ad καλούμενον ,, p. 62.
§ 14 extr. ἐν δὲ τῇ ἑξῆς ad οὐ γνώριμον ,, p. 63.
§ 15 οὗτοι δὲ μικρὸν ad οἱ ῥινοκέρωτες ,, p. 53.
ἀλλὰ σχεδόν τι ad ὁραθέντος ,, p. 53.
ἀλλ' ἐλέφαντι ad ταῦτά φαμεν ἡμεῖς ,, p. 53.
§ 16 ἃ δ' ὁ Σκήψιος ad αὐτῶν Metrodorus p. 53.

Liber XVII (p. 71—99).

Cap. I, p. 785—816 C.

§ 1 Strabo p. 82, 83.
§ 2 Eratosthenes p. 83.
§ 3 med. ἡ δὲ χώρα ad τῶν τριάκοντα Artemidorus (?) p. 83.
§ 4 med. τὴν μὲν οὖν ad ἡ σύμπασα νῆσος Artem. p. 83, 84.
§ 5 ad τὴν πλημμυρίδα Artem. p. 84.
§ 6 in. ἔστι τοίνυν ad ἀμφίστομον Artem. 71, 74, 75, 77.
§ 13 extr. ἔτι δὲ μᾶλλον κατιδεῖν ad finem Artem. p. 72, 77.
§ 14 tota ,, p. 72, 75, 77.
§ 17 ad ἀποθανόντος αὐτόθι ,, p. 72, 77.
§ 18 in. τὰ δ' ἐν δεξιᾷ ad καὶ Ἀρτεμίδωρος ,, p. 85.
§ 24 φησί δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος ad σχοῖνον ,, .
καὶ διότι παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις ad finem ,, .
§ 25 ad καὶ εἰσπλεῖν πάλιν (in fine) ,, p. 86.
§ 45 ad ἐπιτηδείους ἔχουσαν ,, p. 90, 91.
οὐκ ἄπωθεν δὲ ad ἑκατέρωθέν ἐστιν ,, p. 90, 91.
§ 46 ad Αἰγύπτου ταύτην ,, p. 91.
λέγονται δὲ καὶ ἀστρονόμοι ad finem ,, p. 91, 92.

Cap. II, p. 821—822 C.

§ 1 Strabo. Artem.
§ 2 ἔστι δὲ τὸ μέγιστον ad finem ,, p. 92—95.
§ 3 tota. ,, p. 92—95.

Cap. III, p. 824—838 C.

§ 1 οἱ μὲν οὖν πρὸς τὰς ἠπείρους ad finem Erat. p. 96, 97.
§ 2 Eratosthenes, exceptis verbis Λύγγα δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκε, p. 16, 18.
§ 6 Artemidorus, p. 17, 72, 74, 75.
§ 8 ad καίπερ ταὐτοκλινεῖς ὄντας Artem. p. 98.
§ 9 ad τῶν λεχθέντων ὅρων Artem. p. 72, 77.
μετὰ δὲ τὴν Σίγαν ad finem. ,, p. 72, 77.
§ 10 in. αὐτοὺς γὰρ ad καὶ μεγάλους ,, p. 98.
§ 12 ad ὃν Σάλδαν καλοῦσιν ,, p. 72, 77.
§ 13 ad παραπλησία χώρα ,, p. 72, 77.
ἥ τε δὲ Κίρτα ad ἄμφω βασίλεια ,, p. 72, 77.
ῥεῖ δὲ τῆς Ἰτύκης ad finem. ,, p. 72, 77.

§ 14 tota, item § 16 Artem. p. 72, 76, 77.
§ 17 ad πάρισοι τοῖς μεγέθεσι „ p. 77.
τὴν δὲ Μήνιγγα ad ἥδιστον καρπόν Polyb. p. 78.
πλείονες ad finem Artemidorus p. 72, 77.
§ 18 tota. „ p. 72, 77.
§ 20 tota, exceptis (p. 836 extr. C.) ἐκ ταύτης τῆς πόλεως ἄμμῳ βαθείᾳ καὶ καύμασι. Artem. p. 72, 77, 78 ann. 1.
§ 21 κεῖται δὲ τὸ τῶν Κυρηναίων ad Λευκονότῳ Artem. p. 72, 77.
§ 22 med. μετὰ δὲ τὴν Ἀπολλωνίαν ad finem. „ p. 72, 77.

Index auctorum noviciorum.

Detlefsen, Varro, Agrippa und Augustus als Quellenschriftsteller des Plinius für die Geographie Spaniens (Comm. philol. in honorem Theodori Mommseni p. 23).

Evers, Ein Beitr. z. Untersuch. d. Quellenbenutzg. b. Diodor.

Häbler, Die Nord- und Westküste Hispaniens. Progr. d. Kgl. Gymn. Leipzig.

R. Hansen, iudicium tulit de Zimmermanni dissertatione infra laudanda in: Philol. Rundschau 1884, 1095.

Hübner, Tarraco und seine Denkmäler, Hermes 1, 77.

Mommsen, Römische Geschichte.

— , Monumentum Ancyranum.

Muellenhoff, Deutsche Altertumskunde.

Niese, Apollodors Comment. z. Schiffskatalog. Rh. M. 32, 267.

Partsch, Die Darst. Europas in d. geogr. Werke d. Agrippa.

Schweder, Beitr. z. Kritik d. Chorograph. d. Kaisers Augustus.

Stiehle, D. Geogr. Artemidoros v. Ephesos, Philol. 11, 193.

Vogel, Strabons Quellen für das 17. Buch, Philolog. 43, 405 (citatur signo: Ph.).

— Quid de Zimmermanni dissertatione existimaret, exposuit in: Philol. Anz. 1884, 383 (citatur signo: Ph. A.).

Zimmermann, Quibus auctoribus Strabo in libro tertio Geographicorum conscribendo usus sit, quaeritur. Diss. Hal. V, 329.

Vita.

Ego, Gualtherus Carolus Theodorus Ruge, Dresdae natus sum, alter familiae filius, vicesimo tertio die mensis Aprilis 1865 patre Sopho, matre Anna e gente Busse. Fidem profiteor evangelicam. Elementis litterarum imbutus puer novem annorum in societatem gymnasii, quod est ad aedem sanctae crucis, receptus sum. Postquam anno 1883 examine superato Dresdae tirocinii rudimenta deposui, Tubingae scholas Alfredi de Gutschmid, Herzogii, Rohdii, Rothii, Schwabii, Sigwartii frequentavi et per duo semestria sodalis fui seminarii historici praeside Gutschmidio. Tubinga relicta Lipsiae inde a vere anni 1885 scholis interfui Lipsii, Maurenbrecheri, E. Meyeri, Ratzelii, Ribbeckii, Richteri, Roscheri, Springeri, Voigtii, Wachsmuthii, Wundtii. Praeterea sodalis fui seminarii historici praesidibus Arndtio, Maurenbrechero, Meyero, proseminarii philologi praesidibus Crusio et Hirzelio, per ter sex menses ordinarius sodalis seminarii philologi, quod moderabantur Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth, et nunc quoque intersum seminario paedagogico regente Richtero. Iam vero receptus sum in societatem antiquariam Wachsmuthii et in societatem philologam Ribbeckii.

Quos omnes viros doctissimos, praesertim autem Gutschmidium, quem flebili morte nobis ereptum semper memoria et gratia persequar, cum me ad litteras philologas accedentem consiliis suis optime adiuverit, et Wachsmuthium, qui geographica studia mea maxime fovit, grato animo et pietate semper colam.

Jenae, typis H. Pohle. — 464